Q. D. B. V.

DE

CAROLO BELLICOSO VLTIMO BVRGVNDIAE DVCE

PRAESIDE

IO. DAVIDE KOELERO P. P.

IN ORDINE CIRCVLARI

DISSERVERVNT

SAMVEL FABER

VOHENSTRVSA-PALATINVS

D. XXX AVGVSTI cIↃ IↃc XII

ET

GEORGIVS FRIDERICVS VVVLFERVS

NORIMBERGENSIS

D. VI FEBRVAR. cIↃ IↃc XIII

ALTORFII

RECVSA AB IOD. GVIL. KOHLESIO ACAD. TYPOGR.

A. MDCCXXIX.

Digitized by Google

BIBLIOTECA
REALE
MONACENSIS

Digitized by Google

DISSERTATIO HISTORICA I.
DE
CAROLO BELLICOSO VLTIMO BVRGVNDIAE DVCE.

§. I.

CAroli bellicosi, potentissimi & ultimi Burgundiæ Ducis, vitam & res, bello magis quam pace, magisque armis, quam per consilia gestas, scribere aggredior, quem sane regio Francorum sanguine oriundum sua admirabilis prorsus ac inusitata animi imperterriti magnitudo, & virtus fere imperatoria, amplitudo præterea ditissimarum ditionum, paratumque robur firmissimorum exercituum, vicinis validissimis populis, Germanis atque Gallis, Belgis atque Helvetiis, formidandum reddidit, atque maxime inclytorum ea ætate Principum numero inseruit, ut ejus vitæ notitia selectissimam seculi XV historiam complectatur. Sed priusquam tantarum rerum initia memoriæ prodantur, ut omnia ad cognoscendum clara atque illustria in aperto sint, operæ pretium erit, nonnulla de populo Burgundionum veterique eorum stabilito regno, variisque vicissitudinibus, quibus obnoxium illud fuit, præmittere, hacque commemoratione idoneum velut aditum ad memoranda CAROLI nostri gesta facere. Propositi declaratio.

§. *II.* Burgundiones minime fuisse Romanæ originis, uti legitur apud MARCELLINVM *lib. XXVIII. p.* 403. *edit. Lindenbrog.* sed Germaniæ aborigines, Vandalicæque gentis nationem, declarat PLINIVS *H. N. IV.* 14. vir summa in rebus Germanicis autoritate, & ab ipso TACITO *A. I.* 69. allegatus. Hinc etiam Burgundionum primas atque originarias sedes in Germania septentrionali, non procul a littore sinus Codani, inter Svevum & Vistulam amnes Burgundionum sedes antiquissima.

Digitized by Google

fuiſſe, aſſerimus, cum Vandalos hic locorum habitaſſe & attigiſſe ſinum Codanum, inter omnes conſtat. Negligentior in horum populorum ſedibus deſignandis fuit CHRISTOPHORVS CELLARIVS *Lib. II. c. 5. p.* 400. *Geograph. antiqu.* perturbatus ab H. VALESIO *Rer. Franc. L. I. p.* 50. Accuratiorem induſtriam adhibuerunt PH. CLVVERIVS *Germ. antiqu. L. III. c.* 36. & 46. & C. S. SCHVRZFLEISCHIVS *in Diſſ. Hiſt. XX. p.* 33.

Eorum prima migratio in interiora Germaniæ.

§. III. Hæc loca poſtea deſeruerunt Burgundiones, &, migratione ſuſcepta, in interiores Germaniæ oras penetrarunt. Nam PROCOPIVS, eos Thuringis, qui mediterraneam Cattorum regionem incolebant, vicinos facit *L. I. rer. Gothic.* inquiens: Τῶν Θοερίγγων Βυργυνζίωνες ὀ πολλῷ ἄποθεν, πρὸς νότον ἄνεμον τετραμμένον ὤκηυν, Συαβοί τε ὑπὸ Θοερίγγων, καὶ Ἀλαμανοὶ, ἰσχυρὰ ἔθνη: h. e. *Haud procul a Thoringis Burgundiones ad Auſtrum verſus incolebant; Svabi deinde ſub Thoringis & Alemanni, validæ gentes.* Minime hanc ob cauſam illi mihi errare videntur, qui ſtatuunt, Burgundiones, Viadro & Albi transmiſſis, ad Alemannos propius acceſſiſſe, atque duos inter amnes Necarum & Mœnum Rhenum verſus conſediſſe. v. CLVVERIVS *l. c.* BVSSIERES *Hiſt. Franc. L. I. n.* 13. Suffragantur huic ſententiæ etiam ZOSIMVS, dum Imperatoris Probi expeditiones bellicas deſcribit, & inter alia *Lib. I. p.* 664. dicit: Καὶ δευτέρα γέγονεν αὐτῷ μάχη πρὸς Φράγγους, ὃς διὰ τῶν στρατηγῶν καθυπέρτερος νενικηκὼς, αὐτὸς Βυργύνδοις καὶ Βανδίλοις ἐμάχετο &c. Τούτων ὄντων περὶ τὸν Ῥῆνον αὐτῷ διαπολεμηθέντων. Refert his verbis Zoſimus, quod Probus alterum prælium commiſerit cum Francis, quibus opera ducum ſtrenue victis, ipſe cum Burgundorum Vandalorumque copiis dimicaverit, capto eorum Duce Igillo, & quod hi *propter Rhenum*, h. e. in regione Rheno adjacente, fuerint debellati, quod fortaſſe accidit A. C. 280. Accedit quoque CL. MAMERTINVS *in panegyr. Maximiniani c.* 17. affirmans, Burgundiones Alemannorum agros occupaſſe, ſed ſua quoque clade quæſitos, Alemannos vero terras amiſſas repetere; item, his in locis hærentes Burgundio-

Digitized by Google

gundiones a Gothis afflictos Alemannos & Theruingos defendisse. Disceptationum, quæ Burgundionibus cum Alemannis de salinis & finibus intercesserunt, meminit A. MARCELLINVS *Lib. XXVIII.* qui simul refert, Imp. Valentinianum seniorem eos contra Alemannos excitasse, irritam tamen fuisse expeditionem, moram trahente Cæsareo exercitu. conf. PROSPER *in Chron. ad A.* 373. Accolas fuisse Rheni innuunt OLYMPIODORI excerpta apud PHOTIVM *in Biblioth. edit. Hæsch. p.* 107. ex quibus patet, annitentibus Goaro Alanorum, & Gundiciaro, Burgundionum ducibus, Iovinum Moguntiæ A. C. 412. tyrannidem invasisse, quod sane fieri non potuerit, si Gundiciarius remotior a Rheno fuisset.

Denominatio.

§. IV. Ab congregatis ædificiis, locatisque vicis, quos *burgos* vocaverunt, Burgundiones nomen traxisse, cum ceteri Germani sparsim discreti atque diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit, disjunctis sedibus habitarent, mihi persuadeo auctoritate OROSII *Lib. VII. c.* 32. P. DIACONI *Lib. XI.* ISIODORI *Lib. IX. c.* 2. *&* 4. qui clare tradunt, hanc gentem a crebris per limitem habitaculis constitutis, quæ burgos dixerint, nomen hausisse. In eo tamen ab iis dissentio, quod hoc ea occasione factum sit, cum a Druso & Tiberio per castrorum limites, subacta interiore Germania, dispositi fuerint. Burgum vero veteri Germanorum lingua non tam castellum & arcem turribus mœnibusque munitam, quam vicum significare, probo ex Ottfrido Monacho, qui A. C. 870. locum evangelii Matth. XXI. 2. *Ite in vicum Bethphage*, Francice transtulit: *Faret in thia burg.* Idem sonat Saxonica versio Willerami. LVITHPRANDVS, qui Sec. X. vixit, *Lib. II. c.* 12. de Burgundionibus scribit: *Ipsi domorum congregationem, quæ muro non clauditur, burgum vocant.* conf. MARQ. FREHERVS *in comment. de Lupoduno p.* 13. & PH. CLVVERIVS *Germ. antiq. L. I. c.* 13.

Secunda migratio in regiones transrhenanas.

§. V. Imperante Honorio A. C. 413. vel 414. Burgundiones transgressi sunt Rhenum, superiorisque Germaniæ partem occupasunt, quam tranquille possidere potuissent, nisi Belgas sub Rege Gundiciaro (cujus nomen varie in antiquis monumentis scribitur) viro

Digitized by Google

viro turbulento novisque rebus ſtudente, laceſſiſſent, ipſasque Romani imperii provincias variis irruptionibus & direptionibus vexaſſent. Sed binis prœliis eos repreſſit auſpiciis Valentiniani III Aug. Aetius, pacemque ſupplicantibus reddidit. v. IDACIVS *in Chron. ad A.* 435. PROSPER *in Chron.* CASSIODORVS *in Chron.* conf. SALVIANVS *L. VII. p.* 265. *edit. Rittershuſ.* Fractos quoque hic locorum eſſe ab Hunnis, atque ſub conſulatu Theodoſii decimo tertio & Valentiniani III. tertio A. C. 430. in ſummis anguſtiis conſtitutos amplexos eſſe religionem Chriſtianam, ſtudio & opera inprimis Severi, Epiſcopi Trevirenſis, quem gentibus primæ Germaniæ verbum Dei prædicaſſe ſcribit BEDA *L. IX. H. c.* 21. tradit SOCRATES *H. E. VII.* 30. &, qui hunc explicat, IAC. MASENIVS *in not. & addit. ad Chriſt. Brouveri Ann. Trevir. p.* 581. Sed præſtat hac in epocha deſignanda P. OROSII fides, qui, cum hiſtoriam ſuam, vivente adhuc Honorio, ad A. C. 416. vel 417. ſcripſerit, tranſitum Burgundionum ad Chriſtianiſmum paulo ante fuiſſe factum *Lib. VII. c.* 32. his verbis indicat: *Burgundiones quoque novorum hoſtium novum nomen -- providentia Dei Chriſtiani omnes modo facti Catholica fide noſtris clericis, quibus obedirent, receptis, blande, manſuete, innocenterque vivunt, non quaſi cum ſubjectis Gallis, ſed vere cum fratribus Chriſtianis.* Minime enim circa A. 430. Burgundionibus periculum ab Hunnis imminuit, qui demum A. 451. transrhenanas regiones devaſtarunt. Hoc etiam indicant PROSPERI verba in Chronico ad A. 436: *Eodem tempore Gundicarium regem, intra Gallias habitantem, Aetius bello obtrivit, pacemque ei ſupplicanti dedit, qua non diu potitus eſt, ſiquidem illum Hunni cum populo ſuo & ſtirpe deleverunt.* Pariter CASSIODORVS ſcribit ad A. 435: *Gundicarium Burgundionum regem Aetius bello ſubegit, pacemque ei reddidit ſupplicanti, quem non multo poſt Hunni premerunt.* conf. HERMANNVS CONTRACTVS in Chron. ad A. 431. *ap. Vrſtiſ.* & BARONIVS *T. V. Annal. ad A. C.* 431. *n.* 16.

Tranſitus ad Chriſtianiſmũ.

§. VI. Ex

§. VI. Ex Germania prima Burgundiones poſtea circa A. 443. migrarunt in Galliam, atque a Valentiniano III. Aug. impetratos agros ad Araris Rhodanique confluentes, qui Sequanis fuerant, inhabitarunt, ſtabilito ibi regno celebrato, quod Burgundicum eſt dictum. Inter eorum reges poſt Gundicarium eminuit Gundebaldus, quem minime, uti nonnulli tradunt, Gundiciari fuiſſe filium, probat non ſolum teſtimonium PROSPERI, paulo ante allegatum, quod aſſerit, Gundiciarum *cum ſtirpe ſua* ab Hunnis fuiſſe deletum, verum ipſe Gundebaldus a Gundiciaro, & antecedentibus regibus videtur patrem ſuum diſtinguere *in leg. Burgund. tit. 3. de libertatibus ſervorum*, inquiens: *Si quot apud regiæ memoriæ autores noſtros, id eſt, Gibicum, Godomarem, Gislaharium, Gundaharium, patrem quoque noſtrum & patruos, liberos fuiſſe conſtiterit, in eadem libertate permaneant, quicunque ſub eisdem fuerint obnoxii ſervituti, in noſtro dominio perſeverent.* Illis, qui Sigismundum, Gundebaldi filium, harum legum autorem faciunt, oppono Hincmarum, Agobardum, Gregorium Turonenſem, capitulare Karoli M. Leges Longobardorum, in quibus conſtantiſſime hæ leges ab Legislatore vocantur Gundobaldæ, vel Gundebodingæ; Loca ipſa recitat LINDENBROGIVS *in gloſſ. ſubj. p.* 1408. Non abnuo vero Sigismundum, Principem catholicum, latas a patre Ariano leges emendaſſe, atque ea in iis expunxiſſe, quæ ſinceriori fidei Chriſtianæ repugnabant.

Tertia migratio in Galliam atque ibi ſtabilitum regnum.

§. VII. Weſtrogothi tunc temporis tenebant Arelatenſem ditionem. Cum his bellarunt aliquoties Burgundiones, ſed admodum infeliciter, ſiquidem tam a Torismundo, quam ab Eurico, Weſtrogothorum regibus, ſunt devicti & vectigales facti. v. IORNANDES *de reb. Get.* Invaleſcentibus deinde in Gallia Francis, cum Burgundiones Weſtrogothis magis, quam illis ſtuderent, atque ab Alarici partibus ſtarent, a Francis fuerunt oppugnati. Inprimis Clodovæus Rex inſtinctu uxoris chriſtianiſſimæ Chrotildis, quæ filia fuit Chilperici, fratris Gundebaldi, prætextu denegatæ dotis, Gundebaldum A. 502. ducto in Burgundiones exercitu eſt aggreſſus,

Bella ab ipſis ibi geſta cum Weſtrogothis, cum Francis.

Digitized by Google

sus, atque Godegisilo affini, quem, eversa tetrarchia in Burgundionibus, Gundebaldus inique tractaverat, auxilium tulit. Expugnatis a Clodovæo omnibus locis & regni Francici finibus adjectis, quæ cis Ararim Rhodanumque erant, præsertim vero Lugduno & Vienna, impositoque Gundebaldo stipendio, bellum hoc est finitum. Gundebaldus vero mortuus A. 508. teste SIGEBERTO *ad h. a.* conf. GREGORIVS TVR. AIMOINVS. Sigismundus Gundebaldi filius post obitum patris eam obtinuit regni partem, quæ trans Ararim Rhodanumque erat, & habuit inclytum illud Concilium Eponæ A. 509. vid. BARONIVS *in Annal. ad h. a.* & SEV. BINIVS *in Conc. Epaunens. p.* 552. *& in not. p.* 555. Bello vero implicitus cum Clodamiro, Aurelianorum rege, & prælio victus captusque cum uxore filiisque A. 520. in puteum est præcipitatus. Clodomarus, sive Gundomarus, frater Sigismundi, fuga elapsus Clodomarum quidem regem, cum victricibus armis interiora Burgundici regni peteret, insidiis excepit & occidit; verum Clotarius & Childepertus in ultionem fratris interemti novo exercitu conscripto intrarunt Burgundiam, atque expugnato Augustoduno & profligato Clodomaro A. 526. omnem hanc regionem sibi subjecerunt. vid. PROCOPIVS, & AGATHIAS, GREGORIVS TVRONENS. GESTA FRANC. *epitomata c.* 19. *&* 34. AIMOINVS *Lib. II. c.* 7. BVSSIERES *Lib. I. n.* 25. P. AEMILIVS *p.* 13.

Burgundiones sub Francis Merovingis.

§. VIII. Sub Francorum Merovingorum Regum imperio Burgundiones fuerunt per CCXXVI. annos, ab A. 526. usque ad An. 752. nominatimque iis imperarunt sequentes Reges:

Theodoricus Rex Austrasiæ, filius nothus Clodovæi M. qui, divisione Burgundiæ instituta, Regis Burgundici titulo simul assumto, se a fratribus Childeberto & Clotario RR. distinxit, † A. 537.

Theobertus, hujus filius † A. C. 550.

Theobaldus hujus F. † A. C. 554.

Clotarius I. hujus patruus, Rex Suessionum, & post obitum Childeberti A. 563. Franciæ Monarcha, † 565.

Guntra-

Digitized by Google

Guntramus Rex Aurelianenſis h. F. † A. 597.
Childebertus Rex Auſtraſiæ, hujus nepos ex fratre Sigeberto, † 601.
Theodoricus h. F. Rex Aurelianenſis. † 610.
Clotarius II. hujus patruus, Rex Sueſſionum, & poſtea totius Franciæ Monarcha, quem ſumma fide atque obſervantia Burgundi coluerunt ob innumera beneficia collata. † A. 632.
Dagobertus I. h. F. † A. 648.
Clodovæus ſive *Ludovicus* h. F. † A. 664.
Clotarius III. h. F. † 668.
Childericus h. F. † A. 680.
Theodoricus II. Franciæ Rex, hujus frater. † A. 699.
Clodovæus h. F. † A. 702.
Childebertus h. frater. † A. 713.
Dagobertus II. hujus F. † A. 715.
Chilpericus monachus regno exutus A. 718. mox reſtitutus, † A. 719.
Clotarius IV. patruus Dagoberti II. fictitius. † 719.
Theodoricus IV. filius Dagoberti II. junior. † A. 739.
Childericus III. hujus frater, depoſitus A. 751.

Hæc regum Franco-Merovingorum ſeries atque ſucceſſio, quibus Burgundi fuerunt addicti, deſumta eſt ex Gregorio Turonenſe, Chronico cœnobii D. Benigni, Aimoino, Paradini & Vignierii annalibus Burgundic. Omnes vero hi reges recenſiti conceſſerunt Burgundionibus ſuis legibus & juribus vivere, hocque regnum adminiſtrarunt per ſuos Præfectos palatio Burgundico, quibus ita dicti Patritii, poſtea Comites, fuerunt ſubjuncti.

§. IX. Quibus in ſucceſſionibus & diviſionibus Regum Carolo vingorum Burgundia fuerit attributa, & quod illa demum facta fuerit pars regni Lothariani, nolo uberius, ne nimia prolixitate tædium lectori excitem, recenſere, declararunt autem hoc quam accuratiſſime duumviri de reſtaurata hiſtoria Germanica optime meriti, H. CONRINGIVS *de Finibus Imp. Germ. Lib. I. c. 3. & ſeq.* & C. S. Sub Carolingis.

Digitized by Google

& C. S. SCHVRZFLEISCHIVS *Diſſ. hiſt. X. c. 6.* Neque etiam inde repetendæ hodienum Burgundiæ jus eſt deducendum, quod ex ſequentibus patebit. Dicendum potius nunc eſt de Boſonis artibus & turbis, qui Burgundos A. 879. ad defectionem a Francorum Regibus ſollicitavit. Erat is Bovini, Comitis Ardennæ filius, atque in gratiam ſororis ſuæ Iudithæ, a Carolo Calvo Imperatore in matrimonium ductæ, ab Imperatore comitatum Auguſtodunenſem A. 860. acceperat, & præterea ab eodem A. 976. in diplomate quodam, quod in chronico Benigniano extat, cariſſimus Italiæ, ſive Inſubriæ, dux & ſacri imperii archiminiſter ſalutatus fuerat; quibus honoribus ſublatus regnum Burgundiæ ambivit, atque pollicitationibus & largitionibus apud Burgundiæ proceres effecit, ut ad Mantalam, regiam domum prope Viennam, Idibus Octobr. A. 879. ſolenniſſime in regem Burgundiæ inungeretur. Tabula electionis, quæ adhuc ſupereſt, & ad quam provocat VIGNIERIVS *in Chron. p.* 64. refutat REGINONEM, qui refert, a Carolo Calvo A. 877. Boſoni coronam Provinciæ impoſitam fuiſſe, quem ſecutus eſt CONRINGIVS *de Finib. Imp. L. I. c.* 12. Ab aliis hiſtoricis conſtantiſſime Boſo Comes dicitur ante A. 879. conf. BVSSIERES *Lib. VI. n.* 18. GVIL. PARADINVS *Lib. I. p.* 105. Minime vero Burgundiam a Boſone ſibi ereptam neglexerunt Ludovicus & Carolomannus RR. Ludovici Balbi filii nothi, ſed armis illam repetierunt, atque Vienna expugnata coegerunt Boſonem, ut Arelatum ſe reciperet, quod oppidum etiam cum Provincia, ex Burgundia, quæ eſt cis Ararim dejectus, & per contumeliam Provinciæ regulus ſalutatus, retinuit, filioque Ludovico poſt mortem A. 889. reliquit. Huic Ludovico, expulſo Berengario A. 901. a Benedicto IV. P. M. Italiæ regnum eſt delatum, ſed Berengarius eum A. 904. circumvenit & interemit. Cuſpinianus ipſi adſcribit filium Hugonem, qui ei ſucceſſerit in regno Provinciæ, ab aliis tamen autoribus ille dicitur ſimpliciter Comes Arelatenſis & Viennenſis. Hic poſtea A. 925. etiam electus eſt Italiæ rex, & ut hanc dignitatem ſibi conſervaret, Rudulfo Jurenſis Burgundiæ regi, de quo ſtatim ſermo erit,

Defectio ab iis per Boſonem R.

Digitized by Google

erit, omnem Provinciam pacto conceſſit. v. ANNALES REMENSES, LVITHPRANDVS *Lib. III. c.* 13. PARADINVS, VIGNIERIVS *l. c.*

§. X. Antequam ulterius progrediamur, notanda venit Burgundiæ diviſio, quæ omnino varia fuit, magnumque lumen tractationi de mutationibus hujus regionis affundit. Primo diſtributa fuit Burgundia in *Ciſaricam* & *Tranſaricam*, tempore Clodovæi M. de quo ſuperius dictum. Deinde diviſa fuit in *Cis-* & *Transjuranam*, ratione montis Juræ, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit. Hæc complexa eſt Helvetiam, Sabaudiam, ac Reges poſtea habuit, aliis dicta eſt Burgundia Jurenſis, aliis Gallia Ciſalpina. Illa Duces nacta eſt, atque in ea ſita ſunt Veſontio, Tullum, Dola &c. Alii conſtituunt tres Burgundiæ partes, quarum prima a Jura monte ad Alpes excurrit, per Helvetios, Rauracos, Allobroges, Delphinates; ſecunda includitur Jura & Vogeſo montibus; tertia continet Arelatenſem & Maſſilienſem ditionem, & ab Rhodano ad Alpes excurrit. v. VIGNIERIVS *p.* 71. BVSSIERES *L. VII. n.* 5. Burgundiæ varia diviſio.

§. XI. His admonitis nova Epocha novorum ducum & regum Burgundiæ eſt conſtituenda, quæ res ita ſe habet. Cum Odo ſive Eudo, Roberti Comitis Pariſienſis filius A. 888. ex tutore Caroli ſimplicis Franciæ rex, annitente quadam factione, conſtitueretur, ad ſtabiliendum regnum occupatum denominavit Richardum, comitem Auguſtodunenſem, totius Burgundiæ Cisjuranæ Ducem, quo majori autoritate adverſus Normannos belligeraret; & ab hoc auſpicanda eſt ſucceſſio veterum Burgundiæ Ducum, quam ita conſignabimus: Hujus parti arripit Duces.

I. 1) *Richardus* † A. 921.

2) *Rodulfus* hujus F. factus Rex Franciæ A. 92. poſt cæſum Robertum, Comitem Pariſienſem & Regem † juxta Ann. Remenſes A. 936. juxta epitaphium A. 93. *ἄπαις.* Familia Comitum Auguſtodunenſium.

3) *Hugo Niger* hujus frater, occupata quidem Lugonum urbe, fratri in omnibus ditionibus ſuccedere volt; verum Ludovicus ultramarinus, Franciæ Rex, eo eum dejecit,

Digitized by Google

atque Hugonem M. ſive Album, Roberti Comitis Pariſ. filium conſtituit. Convenerunt tamen poſtea utrique Hugones de dividenda Burgundia, quae mortuo Hugone Nigro tota rediit ad Hugonem M. † 950.

Familia Comitum Pariſ.

II. 1) *Hugo Magnus* ſive Albus † 956.

2) *Otho* ſeu *Otto* hujus filius, frater Hugonis Capeti regis, † A. 965. nulla relicta prole.

3) *Henricus* hujus frater, nullo ſublato filio moriens A. 1001, ſecundum Hiſtoricos quosdam Gallicos Robertum, Francorum regem, nepotem ex fratre Hugone Capeto, ſcripſit heredem. Chronicon vero Benignianum affirmat, quod ante obitum ſibi adoptaverit Othonem Vilelmum, Gerbergæ uxoris ſuæ ex priore marito filium, quam ob rem poſt obitum Henrici graviſſimæ turbæ ſunt exortæ de ſucceſſione, quam tam Rudolphus Rex Franciæ, quam Landricus, Nivernenſis Comes affectabant, atque Ottoni prærpere ſtudebant. Vicit etiam potentia Rudolphi, & utrosque coegit, hereditati Burgundicæ renunciare, relicto tamen Othoni, Comitis Divionenſis titulo.

Famila regia prior.

III. 1) *Robertus I.* ſanctus, Rex Franciæ, † 1032. d. 20. Jul.

2) *Robertus II.* hujus filius, qui ducatum hunc a fratre Henrico I. apanagii & Feudi titulo accepit, conceſſo ſimul primoloco inter Pares Galliæ, hinc Dux Burgundiæ dicitur *Decanus Parium Galliæ.* † A. 1075. Nullos ſuperſtites ſi filios fuiſſe VIGNIERIVS p. 128. tradit. SAMMARTANVS vero ſcribit, mortuos quidem eſſe ejus natu majores filios, Hugonem & Henricum, ſed reliquos Robertum & Simonem per vim atque injuriam Hugonis III. de Fracia Ducatu exutos fuiſſe.

3) *Hugo II.* hujus nepos ex fratre Henrico I. Rege Franciæ, mortuo Iolanda uxore, monachus Cluniacenſis factus A. 107. † ſine liberis A. 1100. teſte epitaphio.

4) *Otto I.* ab aliis dicitur Eudo I. † 1102. in ſacra militia.

5) *Hu-*

Digitized by Google

5) *Hugo IV.* hujus filius, † A. 1123. teſte epigrammate ſepulcrali.

6) *Odo* ſeu *Otto III.* hujus filius, † 1163.

7) *Hugo V.* h. F. † 1192. in militia ſacra.

8) *Otto IV.* h. F. † A. 1218.

9) *Hugo VI.* h. F. † A. 1273.

10) *Robertus III.* h. F. † A. 1309.

11) *Hugo VII.* h. F. † 1315. *ἄπαις.*

12) *Eudo*, hujus frater, cum Philippo VI. ſive Longo, in capeſſendo regno Franciæ A. 1316. obſiſteret, atque illud ad Joannam, Ludovici X. ſive Huttini filiam, pertinere affirmaret, obtinuit a Philippo Comitatum Burgundiæ, cum filia Regis Joanna in matrimonium locata, quem illa hereditate nacta fuerat avo materno Othone A. 1306. mortuo. Conjunxit itaque hic Ducatus & Comitatus Palatini Burgundici titulos. † 1349.

13) *Philippus*, hujus nepos, *Infans* dictus. Pater ejus Philippus vivente adhuc Eudone obiit A. 1346. in oppugnatione caſtelli Aquillonis in Aquitania. v. FROSSARDVS *Lib. I.* Ipſe in ipſo ætatis flore ante perfectum matrimonium cum Margarita, Ludovici, Flandriæ Comitis, filia unica, d. XXI. Nov. A. 1361. eſt extinctus.

Vid. de hac triplici ſucceſſione Burgundiæ Ducum, quæ a quibusdam valde perturbatur, PARADINVS *c.* 10. VIGNIERIVS *l. c.* ELIAS REVSNERVS *Op. Genealog. P. I. p.* 309. IVSTELLVS *Hiſt. Famil. Arvern. L. II. c.* 25. IAC. VVILH. IMHOFIVS *in Genealog. Gallic. Famil. T. VIII. p.* 24. CONRING. *de Finib. R. I. c.* 12. CHIFLETIVS *in Vindic. Hiſp. c.* 13. FRIDRICH LVCAE *im uhralten Fürſten-Saal P. IV. c.* 2.

§. XII. Philippo, poſtremo Burgundiæ Duci in ſtirpe Robertina absque herede maſculo mortuo, ſucceſſit in Ducatu Burgundiæ Johannes II. Franciæ rex, & jure magis apanagii revertentis, quam maternæ hereditatis illum regno ſuo iterum annexuit. Ma- Familia Ducum regia poſterior.

Digitized by Google

ter quidem ejus Johanna, quæ nupſerat patri Philippo VI. R., erat amita Philippi ultimi, & filia Roberti III. & ſoror Eudonis, Burgundiæ Ducum. Sed lege hereditatis Ducatus tunc pervenire debuiſſet ad natu majoris Roberti filiæ Margaritæ nepotem tuno ſuperſtitem, Carolum II. Regem Navarræ, qui etiam totam hereditatem adire cupiebat, ſed a rege Franciæ fuit impeditus, qui apanagium vacuum, regno, unde erat datum, reſtituebat. Aequitas regis in dividunda hac ampliſſima hereditate ex eo magis apparet, quod Comitatum Burgundiæ & Arteſiæ viduæ Philippi, Flandriæ Comitis, Margaritæ, quam poſtea Philippus audax, Burgundiæ Dux, in matrimonium duxit, ob matrem Margaritam, quæ Othonis IX. Comitis Burgundiæ, & Mathildis, Comitis Arteſiæ, filia fuerat, conceſſerit, atque etiam, quod poſt Johannæ, matris Philippi, mortem, quam rex Johannes poſtea ſecundis nuptiis ſibi conjunxerat, Arverniæ & Bononiæ Comitatum illius patruo, Joanni de Bononia permiſerit. Ducatum vero ipſum relapſum poſtea A. 1363. filio ſuo quarto genito cariſſimo, *Philippo* Audaci, dedit, quem ſocium in captivitate Anglicana habuerat, ſcripto Germaniaci ad Matronam die ſexta Sept. inſtrumento publico, quod extat apud GOLLVTIVM *in memoires de Bourgogne p.* 537. ubi inter alia Rex Joannes loquitur: *Ad memoriam reducentes, grata & laude digna ſervitia, quæ cariſſimus Philippus, filius noſter quarto genitus, qui ſponte expoſitus mortis periculo, nobiscum imperterritus & impavidus ſtetit, in acie prope Pictavos vulneratus, captus, & detentus in hoſtium poteſtate, ibi & poſt liberationem noſtram exhibuit*, &c. Perperam igitur CHRISTIANVS IVNCKERVS allegat, *in Geographia medii ævi P. II. c.* 8 *p.* 338. diploma aliquod inveſtituræ a Carolo IV. Imp. huic Philippo datum, quod ex tabulario Divionenſi produxit CHIFLETIVS *in Vindic. Hiſp. c.* 13. ſiquidem hoc non inveſtituram Ducatus Burgundiæ, ſed veniam ætatis, & beneficium majorum & majorennium Carolus IV. Imp. concedit Philippo Duci. Præterea, ſi dicendum, quod res eſt, hoc diploma mihi admodum ſuſpectum etiam in hoc argu-

Digitized by Google

argumento videtur. Datum enim illed Pragæ A. D. MCCCLV. Indictione IIX. XII. Calend. Sept. Philippus vero Dux natus est d. XV. Jan. A. 1341. atque tum versabatur in quarto & decimo ætatis anno, erat etiam adhuc in vivis Philippus, ultimus Burgundiæ Dux, nullum ergo possidebat terram, ad quam admini-strandam veniam ætatis ipsi indulgere potuisset Imperator. Præterea NICOLAVS VIGNIERIVS, qui temporum rationes accurate deduxit *in Chronic. f.* 169. expresse scribit, quod demum 1366. atque vigesimo quinto ætatis anno impleto, Philippus possessionem Ducatus iniverit; itaque Cæsarea indulgentia non opus habuit. Ab hoc Philippo igitur progenitore lineæ regiæ posterioris Ducum Burgundicorum series ita est deducenda:

1) *Philippus I. audax* n. d. 15. Jan. A. 1341. † d. 26. April. 1404. Duxit in matrimonium A. 1369. Margaritam, Ludovicii III. Comitis Flandriæ, filiam ac heredem ditissimam, quæ ipsum Ludovico patre mortuo A. 1384. auxit Comitatu Flandriæ, Burgundiæ, Arteſiæ, Nivernii, Rethelii, Ducatu Brabantiæ, Lotharingiæ inferioris & Limburgi, & marchionatu Antverpiensi. Coemit quoque A. 1390. comitatum Carolesium. Has amplissimas regiones ita inter tres filios divisit: *Joannes* natu major accepit post ejus mortem Ducatum, matreque mortua A. 1405. Flandriæ, Arteſiæ, & Burgundiæ Comitatum: *Antonius* n. 1384. Brabantiam, Limburgum & Antverpiam † 1415. *Philippus* † 1415. Nivernii & Rethelii Comitatum.

2) *Joannes intrepidus* n. d. 29. Maji 1371. interemtus ab insidiatoribus, in colloquio cum Carolo Delphino, d. 10. Septemb. A. 1419. in ultionem ab eo occisi Aureliani.

3) *Philippus Bonus* n. d. 30. Jan. 1396. † 1467.

4) CAROLVS BELLICOSVS, in quo caput Tractationis versatur.

Consulantur in hac deductione Ducum Lineæ Burgundicæ posterioris NIC. VIGNIERIVS, PONTVS HEVTERVS *rerum Burgundic. L. II. & seq.*

Digitized by Google

& ſeq. FABERI *in hiſtoria Ducum Burgundiæ*, GOLLVTIVS *in memoriis de Burgundia*, ANSELMVS *in Hiſt. genealog. Domus regiæ p.* 107. NIC. REVSNERVS *in opere Genealog. P. I. p.* 331. IAC. WILH. IMHOF *in Genealog. Gall. Tab. XIV. p.* 39. P. BAELIVS *in Dict. Hiſt. T. I. p.* 668. *ſeq.* P. LVCAE *Fürſten-Saal l. c. p.* 986.

Regnum Burgundiæ novum.

§. XIII. Regnum Burgundiæ novum, cujus ſupra *§. XI.* mentio a nobis facta eſt, poſt exceſſum Caroli Craſſi, cum tota imperii compages quaſi diſſolveretur, auſpicatus eſt *Rudolphus*, Cunradi a Stratlingen, Comitis minoris Burgundiæ, filius, & Hugonis Abbatis, quem Rex Lotharius ex Waldrada pellice ſuſceperat, nepos, qui, occupata provincia inter Juram & Alpes Penninas, accitis ſecum quibusdam primoribus, apud S. Mauritii fanum coronam ſibi impoſuit, regemque ſe Jurenſis Burgundiæ appellari juſſit. Factum hoc eſſe A. C. 888. edocet diploma Bernenſe, datum ad A. ſalutis 895. Indictione XIII. anno Rudolphi Regis octavo. Admodum moleſte hanc arrogantiam tulit Arnolphus imperator, atque miſſo exercitu imperii jura A. 894. vindicare voluit; ſed Rudolphus confidens in tutiſſimis altiſſimorum montium locis, nullis opprimi viribus potuit. In gratiam tamen poſtea Arnolfi imperatoris receptum eſſe tradit FRANCISCVS GVILIMANNVS *Lib. III. Orig. Habſp. p.* 99. Diem obiit extremum A. C. 911. v. REGINO *ad A.* 888. *&* 894. *apud Piſtor.* ANNALES FVLDENSES & PATERNIACENSES *ad A.* 888. HERMANNVS CONTR. *ad eundem A.* N. VIGNIERIVS, CONRINGIVS *de Finibus Imp. L. I. c.* 12. NIC. REVSNERVS *in op. Genealog. P. I. p.* 19. LVCAE *im Fürſten-Saal p.* 978. Ejus ſucceſſores fuerunt:

2) *Rudolphus II.* h. F. A. 922. adverſus Berengarium ſeniorem in Italiam vocatus, Papiæ Rex Italiæ eſt coronatus; ſed A. 925. eum Hugo, Arelati & Viennæ Comes, de ſolio Italico deturbavit, atque poſtea cum eo transegit, ut, quicquid urbium ditionumque in Gallia habuerat, ipſi cederet, Rudolphus vero Italiæ regnum ejuraret. † A. 937. vid. ANNALES REMENS. FRODOARDVS *L. II. c.* 16. CONRINGIVS *l. c.*

3) *Conra-*

Digitized by Google

3) *Conradus* h. F. Hunc puerum adhuc dolo cepit Otho M. Imp. atque ita regem cum regno A. 940. vel 941. in ſuam redegit poteſtatem, quod tamen ipſi poſtea in libertatem reſtituto feudi nomine denuo conceſſit. v. WINTEKINDVS CORBEI. *Lib. II.* ALBERTVS STADENSIS, SIGEBERTVS, VRSPERGENS. *ad h. a.* Habuit quoque Conradus Rex fratrem Rudolphum, cui aliqua portio regni Jurenſis ex hereditate paterna obtigit. † A. C. 991. HERM. CONTR. nominat A. 994.

4) *Rudolphus III.* ſive *ignavus*, poſtremus ſuæ familiæ, regnum ſuum Conrado II. Imp. ſororis ſuæ Giſalæ marito, ejusque filio Henrico II. legavit. † An. 1032. v. DITMARVS MERSB. *L. VIII.* WIPPO *in vit. Conradi Salici.* OTTO FRISING. SIGEBERTVS. *ad h. a.*

§. *XIV.* Conrado II. Imp. in adeunda regni Burgundici hereditate controverſiam movit Odo II. Campaniae Comes, qui ex altera ſorore Bertha Rudolphi III. natus erat, atque hanc ob cauſam omnes ditiones, Cæſare in Pannonia militante, occupavit. Sed Conradus redux A. 1033. armis vindicavit ſua et imperii jura omnesque regni ditiones in fidem recepit. Qua ratione nonnulli comitatus, uti Viennenſis, Arelatenſis, Veſontinus, it. Nuitlandia, ſive Burgundia minor, a regno Jurenſi, tam ante, quam poſt hoc tempus, fuerint ſeparati, noſtrum non eſt recenſere. Ab anno itaque 1033. usque ad annum 1126. pacata fuit Burgundia Jurenſis, atque in clientela Imperatorum Conradi II. Henrici III. IV. & V. permanſit, ſenſim tamen ſenſimque exſpirante regio Burgundiæ titulo. Orti interea erant in Burgundia ſuperiore, quæ eſt trans Ararim, Comites, quorum origo quidem incerta, vulgo tamen primus deſignatur ab autoribus Ottonis Wilelmi p. 12. allegati filius Rainaldus I. qui † A. 1057. Hujus nepos Rainaldus III. Matisconenſis ſimul, Cabillonenſis & Salinarum Comes, autoritate & opibus potens, Henrico V. Imp. mortuo, denuo turbavit, Imperii jura, multisque occupatis locis,

Redit ad Imperium.

exſpirat poſtea ſenſim & multa abalienantur.

Digitized by Google

cis, quæ hactenus Imperatores in Jurenſi tractu poſſederant, Burgundiam Imperii Germanici beneficium eſſe negavit. Qua injuria permotus Lotharius II. Imp. Conrado, Zeringiae Duci, cujus avus Bertholdus II. jam antea, occupata Nuitlandia ſeu Burgundia minori, regis Burgundiæ & Arelatenſis titulum aſſumſerat, comitatum Burgundiæ conceſſit. Diuturnum hinc inter Rainaldum et Conradum ortum eſt bellum, ab heredibus etiam eorum continuatum, et tandem a Friderico I. Imp. ſopitum. Hic enim, ducta in matrimonium A. 1157. Beatrice, Rainaldi Comitis filia, alienatas ditiones imperio reſtituit, atque Bertholdo, Zeringiae Duci, Loſana, Geneva, & Seduno principatus titulo conceſſis, ſatisfecit. Friderico I. Imp. a. 1189. mortuo, filius ejus tertius Otto Burgundiam cum titulo comitis Palatini eſt adeptus. atque illam moriens a. 1199. genero ſuo, Ottoni, Meraniae Duci, cui Beatricem filiam collocaverat, reliquit. Verum hic acriter de hac hereditate primum cum Gerardo, illuſtri quodam Burgundo, atque eo mortuo deinde cum ejus agnato Stephano, Cabillonenſi & Matiſconenſi Comite, contendit, ita, ut coactus denique fuerit, omni ope ab Impp. deſtitutus, omnem Burgundicam ditionem relinquere, quibusdam ſaltem locis circa Veſontionem retentis. Mortuo A. 1231. ſucceſſit filius Otto II. poſtremus ſuæ gentis, quo A. 1248. Plaſſeburgi occiſo, filia Aliſa paternarum ditionum heres extitit, quæ illas cum Comitis Palatini Burgundici titulo ad maritum Hugonem, Ioannis, Burgundiæ Comitis, filium, & Stephani, cujus paulo ante mentio facta, nepotem, detulit. Ab hoc pervenerunt omnia a. 1266. ad Othelinum filium, qui, ut ſe contra Roberti III. Burgund. Ducis iniquas poſtulationes, qui Comitatum Burgundiæ feudi titulo recognoſcendum inſtabat, defenderet, excluſo filio Roberto, Philippum Longum, Pictavorum Comitem, Philippi pulchri, Regis Franciæ, ſecundum filium, cui etiam filiam Ioannam in matrimonium dederat, ſibi ſucceſſorem in omni jure & dignitate a. 1290. nominavit. Qua ratione factum, ut comitatus Burgund. a. 1306. ad

Reges

Digitized by Google

Reges Franciæ transiret, ac denique ab eodem Philippo Longo Eudoni, Burgundiæ Duci, cum Ioanna filia A. 1317. concederetur, de qua ducatus et comitatus Burgundici conjunctione, jam p. 13. diximus. v. PARADINVS, VIGNIERIVS, REVSNERVS, CONRINGIVS l. c. OLIVERIVS MARCANVS *in præfatione commentariorum.*

§. XV.

Omnia, quæ hactenus monuimus, eo spectant, ut eo melius cognoscatur, quam varis vicissitudinibus & quam diversis successionibus Burgundia ad CAROLVM bellicosum, de quo dicturi sumus, sit devoluta, atque ut eo accuratius ille intelligatur nexus, qui inter ipsum & Regem Galliae fuit, et quamobrem majestatem imperii Germanici comiter conservare debuit ille princeps. Sine ullis itaque ulterioribus ambagibus ad ipsum Herois nostri vitæ cursum enarrandum accedimus. Sed breviter summa tantum rerum fastigia & capita delibamus, cum pleniori historicæ commemorationi nos impares existimamus. Duces nobis constituimus præcipuos OLIVARIVM MARCANVM & PHILIPPVM COMINAEVM. Vtrique versati fuerunt in aula Caroli bellicosi; prior variis officiis, et demum præfecti prætorio munere functus est; posterior Carolo ab epistolis consiliisque fuit. Prior edidit commentarios, antiquo idiomate Gallico scriptos, sub titulo: *Memoires de Messire Olivier de la Marche.* In his præmissa prolixiori introductione, non ubique accurata, de antiquo Burgundiæ statu usque ad Caroli tempus, res ab anno 1435. usque ad Annum 1492. sub Philippo et Carolo B. D. & postea a Maximiliano gestas descripsit, additis interdum judiciis pro partium studio. Tres horum commentariorum prostant editiones, omnes rarissimæ. Prima est *Dionysii Sylvestri (Sauvage)* cum anonymi chronico Flandriæ Lugduni 1562. f. Secunda prodiit seorsim cum utilissimis emendationibus I. L. D. G. Gandavi 1567. 4to. Tertia, cum iisdem correctionibus marginalibus Bruxellæ 1616. 4to. PH. COMINAEVS in commentariis suis de vita Ludovici XI historiæ Burgundicæ momenta & Caroli nostri ausus ab

Transitus ad historiam Caroli.

Autores qui nobis eam tradunt.

Digitized by Google

A. 1464. usque ad A. 1491. ſex integris prioribus libris enarravit, multaque de moribus & vitiis ejus, philoſophi in modum, diſputavit. Fidem vero eius in rebus Burgundicis carpunt IAC. MEYERVS *in annal. Flandr.* & MOTHVS VAYERIVS *Opp. T. II. p.* 172. Ludovicum certe XI regem Galliæ ſemper data occaſione laudat & excuſat, Carolum vero ubique taxat, indolemque ipſius exaggerat ferocem & ſaniora conſilia aſpernantem. Hinc ſuaſu ANT. POSSEVINI *in apparat ad omn. gentium hiſt. p.* 131. ad lectionem Cominæi adhibuimus IACOBI MEYERI *annalium Flandricorum librum decimum ſextum & decimum ſeptimum*, qui tantum Ludovici XI laudibus quantum Carolo denegavit, derogavit Cominæus; in annotandis tamen temporum rationibus fuit ſolertiſſimus. Poſt hos conſulimus HADR. BARLANDVM, qui *in chronico Brabantiæ Ducum* a capite CIII. usque ad cap. CXLII. limato cum judicio, ac ſatis nervoſe vitam Caroli noſtri recenſuit. Multa quoque ſuppeditarunt rerum Burgundicarum ſcriptores PONTVS HEVTERVS, GVIL. PARADINVS, NIC. VIGNIERIVS, LVDOVIC. GOLLVTIVS, FABERTVS denique, & QVERCETANVS *(du Chesne)* in hiſtoria ducum Burgundiæ. Neque negleximus hiſtoricos Gallos PETRVM MATTHAEVM, & ANTONIVM VARILLASIVM, Ludovici XI Galliarum R. præcones. Evolvimus etiam hiſtorias Helveticas MICH. STETLERI & IO. STVMPFII, qui clades Caroli ultimas deſcripſerunt.

Caroli nativitas.

§. *XVI.* Natus itaque eſt CAROLVS Divione, Ducum Burgundiæ ſede, IV. Idus Novembr. pridie feriarum divi Martini epiſcopi A. C. 1433. patre *Philippo III Bono*, Burgundiæ, Brabantiæ, & Limburgi Duce, matre *Iſabella*, ſive ut ab aliis autoribus vocatur, Eliſabetha, Ioannis I. Regis Portugalliæ filia. Nomen Caroli in die luſtrico accepit a primo ſuo ſuſceptore Carolo, Comite Nivernenſi, cum illum Martinum appellare vellent. Alter eius ſuſceptor fuit Ioannes, Dominus Crojacus. Recens natum infantem ad ſacrum fontem donavit pater ordine equeſtri aurei velleris, & comitatu Quadrilegenſi, ſeu Caroliæ (la comte de Charolois,) qui ſitus eſt in Ducatu

Digitized by Google

Ducatu Burgundiæ inter Matisconensem & Burbonium agrum, unde Carolus vivente patre vocatus est *Carolesius*, item *Quadrilegius* & *Carcellensis*.

Educa & stud

§. XVII. Parvulus deductus est Gandavum, ibique procul aulæ ceremoniis inanibusque oblectamentis, multifariisque vitiis & corruptelis, quam optime est educatus. Statim a teneris unguiculis in eo deprehensum fuit ingenium erectum, & capax, magnisque ausibus percupidum, hinc vividus impetus, summaque animi alacritas; simul tamen apparuit in eius vita et moribus quiddam exorbitans, inæquale, ac ferox, indomitum pæne dixerim, quod ad eundem fervorem, vimque exundantem spiritus atque indolis merito retulit OLIV. MARCAN. *Lib. I. c. 22.* quodve disciplina mitigare quidem paululum, minime vero penitus supprimere potuit. In pueritia atque adolescentia belli magis, quam pacis artibus fuit assuetus, atque edoctus hastam vibrare, indomitos equos in gyrum cogere, certo ictu destinata ferire, castra metari, cohortes disponere, aciem instruere atque flectere, quas artes omnes avide arripuit, ac ad exitium usque suum sectatus est, præoptans & gladium bello, quam sceptrum domi tenere. Primum equestris certaminis tirocinium posuit in solenni decursione A. 1551. a patre Bruxellis instituta, atque egregie hasta ex equo pugnavit. Dilexit quoque Musicam, eamque peritissime tractavit, ut ipse summus artifex suavissimorum concentuum & modulationum evaderet. Attentissime cateroquin audivit etiam doctores historiam Romanam ipsi explicantes, imo Carolum quoque Latine locutum, ac veteres scriptores citra interpretem legisse affirmat HADR. BARLANDVS c. 104. Imprimis vero doctrina religionis Christianæ quam diligentissime *fuit* imbutus, cujus virtute studuit etiam fervidos animi impetus cohibere.

§. XVIII. Robustior factus primum stipendium meruit in Prima exercitu, quem pater A. 1552. contra rebelles Gandavenses edu- peditio. xit. Missus tunc cum delecta militum manu ad explorandum

situm

Digitized by Google

ſitum Morbeci, quod Gandavenſes inſederant, ſtatim hoc caſtrum, validiſſimo praeſidio ab hoſte firmatum, ex itinere oppugnare voluit, niſi eum ab hoc periculoſo conatu revocaſſent periti belli duces, a patre ipſi comites dati. Interfuit quoque A. 1553. cruento proelio, quo pater decimo cal. Auguſti ſedecim millia Gandavenſium, quæ ad Gaveram obſidione liberandam appropinquabant, profligavit, magnoque vitæ peticulo ſe expoſuit. Miſerat quidem paucos ante dies pater Carolum Gavera Inſulam per ſpeciem viſendæ matris illic ægrotantis, ne ejus vita diſcrimen adduceretur; Verum ut matrem Carolus ſalvam ſoſpitemque invenit, animadvertit, ſe a patre dimiſſum, ne in prælio dimicaret, quamobrem nullis matris precibus & lacrymis retineri potuit, ſed mox in caſtra ante Gaveram rediit, neque unquam amplius a patris latere receſſit.

Diſſidia inter eum, & proceres, atque patrem.

§. XIX. Tenerrimus hic amor, quo ſe mutuo complectebantur pater & Carolus, variis diſſidiis poſtea fuit interruptus, quibus occaſionem atque alimenta ſubinde dedit familia Crojorum potentiſſima eo tempore in aula Burgundica, & gratia Philippi Ducis florens, Carolo vero Principi juventutis florentiſſimo patrique obſequentiſſimo quam maxime inviſa, ob præreptam non ſolum a Joanne Crojo, patris adminiſtro, maximam ſupellectilis comitis Bethunienſis mortui partem, quam ipſi jam antea pater attribuerat, verum etiam ob impenſius ſtudium, quo, Carolo neglecto atque indignis modis habito, proſequebatur Crojus Delphinum Galliæ, Ludovicum, qui, receſſione a patre Carolo VII. facta, in aula Burgundica verſabatur. Hac de cauſa, cum ipſi A. 1456. a patre conſtituerentur duo cubicularii Philippus, filius Joannis Croji, & Antonius Raolinus, Carolus in munere peragendo Raolino primum locum, ut ægre faceret Crojis, invito patre, aſſignavit, quo collato principatu tantam in ſe patris iram præter opinionem concitavit, ut pater, ejus conſtitutione propriis manibus eo præſente cremata, eum confeſtim regia excedere juberet, filius etiam præ indignatione mox

Digitized by Google

mox intempesta nocte secederet Bruxelis, atque in tuguriolo venatoris in pago Sevenberga, versus Bredam sito, noctem exigeret. Arbitro deinceps Delphino controversia hæc fuit sublata, atque Carolus patri reconciliatus. Postea recruduit sopitum odium Caroli in Croios cum A. 1462. detegeretur scelus Jo. Custeinii & Jo. Iniaci, aulicorum, qui venena Carolo propinanda præparaverant, in cujus parricidii suspicionem Crojos, patre reclamante, Carolus vocabat, præsertim cum etiam non ita multo post falsicationes per imagunculas cereas in perniciem Caroli, a viris quibusdam in familia Comitis Stampani, Crojis familarissimi, institutæ manifestarentur. Accedebat denique, quod anni-tente præcipue Crojorum factione An. 1463. Philippus pro 40000. coronatis Ludovico XI. R. G. restitueret Ambianum, Abbatis villam, Fanum S. Quintini, Peronam, & alia quædam oppida Picardiæ ad Somiam flumen, quæ ex pace Atrebatensi pervenerant ad Burgundum, quod adeo ægre tulit Carolus, ut publice hanc restitutionem oppidorum, limitis contra Gallos tuendi causa, acquisitorum, improbaret, atque ad patrem, proditoribus patriæ circumdatum, uti ajebat, accedere recusaret. Repetiit quoque suas querelas ad legatos ordinum Flandriæ & Brabantiæ, qui Brugis convenerant, & Crojum graviter accusavit, quod ipsi carcerem fuisset minatus, & diabolum vocaverit, quo vivo, non foret tranquillus aulæ Burgundicæ status. Eorum opera vero iterum cum patre in gratiam rediit. Tandem vero insequente anno, patre graviter ægrotante, & Carolo totius Burgundiæ administrationem permittente, opportunam Carolus occasionem est nactus opprimendi suos hostes. Quamobrem de improviso oppida ac prædia Crojorum invasit, illosque & eorum asseclas undique elecit, ac publico edicto eos capitales rei Burgundicæ hostes declaravit, quos nemo sine reatus participatione recipiat atque protegat. Male quidem hoc habuit Philippum, pristinæ sanitati restitutum, postquam vero ipsi demonstratum fuit, quam inique publica negotia Croji procurassent, filio vindictam ab illis sumtam facile ignovit. Laudat cetero-

Digitized by Google

ceteroquin. P. BAELIVS *in dict. Hist. Critico T. I. p. 677.* prudentiam Philippi Ducis, quod filii ambitiosi & temerarii exorbitantem indolem retinuerit in officio, & allegato PH. Cominæi loco ex Lib. VI, c. 13. hac de causa approbare videtur dissemina-tas inter Carolum & proceres dissensiones. Verum enim vero arguerent potius eiusmodi machinationes summam imprudentiam Philippi, siquidem hisce studio quæsitis inimicitiis non solum facillime ansam præbere potuisset bello cuidam intestino, quo fortasse omnis res Burgundica misere conflagrasset, sed etiam unici legitimi heredis masculi exitium magis, quam salutem promovisset, quem sane aliis artibus & mediis coercere potuisset, si frena mordere, limitesque pietatis ac reverentiæ egredi voluisset.

Discordia inter eum & Ludovicum R.

§. XX. Exitiale hoc odium, quod Carolus erga Crojos Comitemque Stampensem conceperat, redundavit deinceps etiam in Ludovicum XI. R. G. eorum maximum patronum, atque per totam vitam mutuis injuriis fuit continuatum. Quoniam enim Carolus vehementer improbaverat redemtionem Picardiæ oppidorum, ademit non solum Ludovicus Carolo, sub prætextu initi a Carolo cum Britannis fœderis, Normanniæ præfecturam, abs se A. 1461. concessam, cum annua pensione millium sex & triginta coronatorum, verum etiam A. 1464. clam misit in Hollandiam Rupembretum, archipiratam, qui Carolum, apud Gorcum commorantem caperet, & aut vivum, aut mortuum, ad se deportaret. Sed detectæ fuerunt insidiæ, atque Rupembretus in vincula conjectus, quem cum postea per legatos, ad Philippum missos repeteret Ludovicus, atque de hac criminatione se purgaret, læsæ quoque famæ autores, Olivarium Marcanum & monachum concionatorem, noxæ sibi dedi postularet, acerrimæ hac de causa ortæ contentiones inter legatos regios & Carolum, hujus magis exacerbarunt animum, atque vehementer ad ultionem stimularunt. Cum itaque eodem tempore in Gallia etiam Ludovicus multa insolenter ageret, magnates & nobiles nulla dignitate, nulloque loco, haberet, solusque vellet regna-

Hinc se associat fœderatis de asserendo bono publico,

re

Digitized by Google

re cum infimæ sortis ministris, de coercenda hac ejus tyrannide conspirarunt, proceres Galliæ, Carolus, Dux Biturigum, Regis frater, Franciscus, Dux Britanniæ, Joannes, Dux Lotharingiæ & Calabriæ, Joannes, Dux Burbonius, & Arverniæ, Jacobus, Dux Nemoracensis, Ludovicus Luceburgensis, Comes etiam Marchiæ, Joannes, Comes Armeniacus, Ludovicus Alebretensis, Joannes, Comes fani Pauli, Carolus, Comes Dominici Martini, bellumque pro asserendo bono publico Ludovico inferre decreverunt, quibus lubentissime se consensit patris adjunxit Carolus. Dictus est dies, quo fœderati mense Julio A. 1465. in agro Parisiensi copias conjungerent. Itaque Carolus cataphractis mille quadringentis, & decies mille sagittariis movit in Gallias, atque sine omni impedimento, traject o Sequana flumine, præstolaturus ibi sociorum auxilia, quibus Ludovicum promovit, præstolaturus ibi sociorum auxilia, quibus Ludovicum Lutetia arceret. Ille vero magnis itineribus ex Burboniis agris montem cum exercitu ad tuendos Parisios properavit, omnique studio Erycum prohibere contendit, ne fœderati cum Burgundis conjungerentur. Invito rege tunc factum est, quod Petrus Brezæus, Normanniæ Senescha lus, propius propinquaret ad Burgundos, occasionemque proelio daret, quod magnis utrinque vitibus, sine ordine tamen, & pertumultuose a Gallis Burgundisque d. 16. Julii ad montem Erycum fuit commissum. Burgundi dextrum Francorum cornu profligarunt, Franci vero lævum Burgundorum disjecerunt. Carolus tamen obtinuit proelii campum ibique victor pernoctavit. Plures in utroque exercitu fuga dilapsi sunt, quam cæsi. Ipse Carolus cum acrius insequeretur fugientes hostes, accepto in gutture vulnere bis fuit captus, atque ægerrime liberatus. Rex fuga Corbelium elapsus postea Lutetiam se recepit. Quinto demum posthanc pugnam die advenerunt etiam confœderati cum suis copiis, animumque Carolo addiderunt, ut denuo

Digitized by Google

denuo exercitum Lutetiam traduceret, atque cives ad defectionem a Rege ſollicitaret, in qua cardo rei verſabatur. Sed Rex per ultro citroque miſſos caduceatores æquas pacis conditiones obtulit, ſingulisque conjuratis ſatisfaciendo fœdus hoc callide diremit. Vocata hæc eſt pax Confluentina, propterea quod ad confluentes Matronæ & Sequanæ, ubi Carolus conſederat, d. 29. Oct. 1465. eſt facta. Vi hujus Carolus poſtliminio recuperavit omnia loca inter Oceanum, Somiam, & Scaldim, quæ per pacem Atrebatenſem pater ejus obtinuerat, ea tamen conditione, ut poſt Caroli mortem liberum ſit Francorum regibus, ea pro ducentis millibus ſcutatorum aureorum redimere. Comitatus etiam Guiennenſis Bononienſisque poſſeſſionem, excepto Caleto, ab Anglis occupato, pro ſe ſuisque liberis legitimis accepit. BAELIVS quidem in Lexic. Hiſt. T. I. p. 678. in ea eſt ſententia, quod tunc facilime fœderati omnem Franciam diſcerpere potuiſſent, ſi tantum prudentiæ, quantum roboris, habuiſſent, ſingulisque objectam a Rege pacis titulo prædam reſpuiſſent. Verum nondum ita abalienati erant civium omnium animi a Ludovico, ut plane ab iis fuiſſet deſertus, ſed ſuppetebant ipſi magnæ copiæ veteranorum militum, quas opponere poterat noviter conſcriptis fœderatorum tironibus, atque cum ſingulorum poſtulatis ſatisfaceret, non poterant ulterius quid urgere. Ceterum ſapientiſſime judicavit COMINAEVS Lib. I. c. 3. quod gloria hujus victoriæ magno deinde conſtiterit Carolo, ſiquidem ab eo tempore aliorum repudiaverit conſilia, atque pro ſui unius arbitrio omnia gerere voluerit, qua res in præſentiſſimum vitæ diſcrimen eum tandem adduxerit. Notanda quoque eſt inſignis illa Caroli incogitantia & imprudentia, qui, cum de pace tractaret, atque delecto inter Confluentes loco cum rege de finiendo bello colloqueretur, inter deambulandum meditabundus, ſermonique intentus, ut quo deflecteret, non attenderet, munitiones hoſtium campeſtres eſt ingreſſus, magno ſane ſuorum angore & trepidatione, qui avi ejus Joannis, per ſpeciem pacis in colloquium vocati, miſerabilem interi-

Bellum finitur pace Confluent.

Digitized by Google

interitum in memoriam revocabant, ſed ſtatim incolumis a Rege cum præſidio fuit dimiſſus. Vid. de hoc bello *boni publici* titulo geſto præter, OLIV. MARCANVM *L. I. c. 35.* & PH. COMINAEVM *integro Libro primo*, P. AEMILIVS *Lib. X. p. 341. ſeq.* & JO. BVSSIERES *Lib. XIII. n. 8. 9.*

§. XXI. Carolo in Gallia militante, Leodii, fœdere cum Ludovico Rege inito, adſcitisque in prædæ ſocietatem Dionantiis, Brabantiæ & Namurci fines rapinis incendiisque vaſtarunt, atque his vexationibus ex agro Pariſienſi Burgundos retrahere ſunt conati. Allatis injuriis Dionantii hanc addiderunt contumeliam, falſo ſparſo rumore de Carolo in proelio interfecto potiſſimum inducti, ut ſtatuam ad ſimilitudinem Caroli effictam, in conſpectu vicinorum Bovillorum, qui ſub imperio Burgundico erant, patibulo affigerent, atque proclamarent, tali modo Ludovicum regem de Carolo, vili Philippi notho, & perfido proditore, ſupplicium ſumſiſſe. Carolus vero præter eorum expectationem victor ex Gallia redux eos eo adegit, ut pacem demiſſiſſime peterent, quæ etiam ea lege ipſis eſt d. 22. Jan. A. 1465. conceſſa, ut multam ſexcentorum florenorum Rhenenſium millium intra ſex annos pendant, Epiſcopo Leodienſi de illatis injuriis ſatisfaciant, Ducisque Brabantiæ protectioni cum annua duorum millium florenorum penſione ſe ſubmittant. Hujus pactionis non ita multo poſt pœnituit Dinantenſes, itaque miſere non ſolum excruciarunt Joannem Carpentarium, internuntium, ſed etiam denuo depopulati ſunt Namurci & Hanoniæ ditiones, quæ perfidia ipſis ultimum exitium attulit. Carolus enim triginta millibus armatorum d. XVIII. Auguſt. 1466. Dinantum, opulentiſſimum & bene munitum in Arduenna ſylva oppidum, obſedit, & captum d. XXV. ejusd. menſis, ac per triduum direptum, incendit ſoloque æquavit. Antequam hoc oppidum militibus diripiendum traderetur, Carolus per præcones militibus violenta ſtupra ſub comminatione pœnæ capitalis interdixit, atque fœminis, pueris, ſenibusque, parcendum injunxit, quam imbellem turbam alium

Leodiorum & Dienantiorum intercæ turbæ,

a Carolo graviter ultæ.

Digitized by Google

in locum deportari curavit, viros vero omnes, ob pertinaciam in continuandis in ipsa etiam obsidione contumeliis, & spretas æquæ deditionis conditiones, trucidari, atque octingentos, qui cæde supererant, Mosa flumine mergi jussit. Ad internecionem usque deletis Dinantiis, Carolus confœderatos eorum Leodios, qui contra datam fidem illis suppetias ferre decreverant, cum infesto exercitu petiit, atque eandem calamitatem ipsis minitatus est; suppliciter tamen pacem petentibus postea ignovit, & acceptis trecentis obsidibus superioris anni pactionem cum iis renovavit.

Carolus succedit patri.

§. XXII. In sequenti anno, qui fuit post C. N. supra millesimum CCCCLXVII Philippus Bonus Brugis d. 16. Julii, septuagenario major, diem obiit supremum, atque omnium ditissimarum regionum, ac a se insigniter amplificatarum, successorem reliquit Carolum, filium, ac heredem unicum legitimum. Ad Ducatum enim Burgundiæ, & Comitatum Burgundiæ, Flandriæ, Artesiæ, Marchionatumque Antverpiæ & Mechlinii dynastiam, quas regiones Philippus a patre acceperat, emtione adjecit A. 1428. Comitatum Namurci & A. 1443. Ducatum Luxemburgi. Hereditatis vero jure potitus est A. 1430. Ducatu Brabantiæ & Limburgi, & A. 1433. Comitatu Hollandiæ, Seelandiæ, Frisiæ occidentalis, Hanoniæque. Insignia quoque erant loca ad Somiam flumen, quæ ex pace Atrebatensi ad eum pervenerant, quæve postea alienata Carolus in pace Confluentina cum Comitatu Bononiensi & Gviennensi vindicaverat. Præterea collegerat auri argentique gazam & suppellectilem ad bis decies centena aureorum millia æstimatam, quam omnem opulentissimam hereditatem unus adivit Carolus, agens annum quartum & trigesimum.

Quos tunc habuerit vicinos.

Eo vero tempore, quo rei Burgundicæ administrationem ille suscipiebat, imperabat in vicina Germania Fridericus V. Cæsar Augustus, Princeps vere Austriacus, h. e. placidus atque mitis, a quo Carolo nihil unquam violentiæ aut insidiarum timendum fuisset, modo illum postea nimia sua ostentatione, ambitiosisque postula-

tis

tis non offenderet, majestatemque ejus reverentius coluisset, atque ab obsidione Novesii abstinuisset. Suspectior omnino & formidolosior tunc erat Ludovicus XI. Galliæ Rex, vir prava atque subdola indole, & fallendi dissimulandique artibus ipso Tiberio superior, celebrato omnis fraudis architecto. Hic enim, ut ulcisceretur fœdus pro asserendo bono publico contra se initum, eo omnem sollicitudinem suam per totam vitam intendit, ut funditus deleretur domus Burgundica, tam intestinis, quam externis a se in ejus perniciem concitatis hostibus. De nulla itaque re sæpius atque circumspectius consultavit, quam de acceleranda Burgundicæ familiæ ruina; nullum nuntium majori animi voluptate percepit, quam clades Caroli referentem. Consiliis tamen magis atque occultis insidiis ei nocere studuit, quam aperta vi & armis, maluitque ipsum per alios semper aggredi, ejusque conatus intervertere, quam se ipsum continuo Principi bellatori objicere, ejusque districtum gladium manifeste retundere. Angliæ tunc temporis Regi Eduardo IV. minime quidem favebat ex animo Carolus, qui familiæ Eboracensi minus studebat, quam Lancastriæ, ob cognationem sibi amantiori, ut firmiori tamen præsidio contra Ludovicum se muniret, omnibus officiis ejus amiciciam coluit, ejusque sororem in matrimonium duxit. Reliqui Principes vicini Joannes II. Lotharingus, & Sigismundus Austriacus, amabant pacem cum Carolo colere, & Sigismundus præsertim adeo ipsi potentiam non invidebat, ut potius eam oppignoratione partis Alsatiæ atque comitatus Ferretini, ex odio in Helvetios, sugeret, qui ægre ferebant se magna parte potentissimi principis regionibus circumcludi.

§. XXIII. A morte patris primum Carolo conflictandum Initio regiminis fuit cum tumultuantibus Gandavensibus, Mechliniis, & Leodiis, minis perquos omnes ordine compescuit. Solenniter omnium primum in- belles. greſſus eſt Gandavum ea ſpe atque fiducia, ut eodem amore, quo cum vivo parente profecuti fuerant, nunc exciperent, ceterisque civitatibus exemplum observantiæ in principem præberent. Sed cum

cum poſtridie, quam eo venerat, ingens concurſus fieret multitudinis pro recuperandis immunitatibus pace Gaverenſi ademtis, atque pertinaciſſime hæc reſtitutio urgeretur, expertus eſt Carolus, quod proverbio eo tempore dicebatur: *Gandavenſes amare quidem ſui Principis filium, ſed non ipſum Principem.* Morem tamen civibus pro tempore geſſit, omnibusque poſtulatis eorum annuit, cum aliæ quoque civitates non obſcuram defectionis ſignificationem darent. Acerbius tamen opifices Mechlinenſes ob motum eo tempore factum punivit, partim exilio, partim mulcta graviſſima impoſita. Leodios, qui Hojum, Epiſcopi ſui ſedem, Lucenburgios, Limburgicosque, ſolicitati a Ludovico G. R. expilaverant, vicit ad fanum Trudonis, (*Saintron*), ipſumque Leodium magnis viribus obſedit, quod deinceps d. XI. Nov. in deditionem acceptum, decem hominibus capite plexis, omnibusque tormentis & armis ablatis, portis mœnibusque nudavit. Perdomitis Leodiis Gandavenſibus omnia privilegia, quæ antea iniquitate temporis coactus illis conceſſerat, abrogavit, magiſtratumque annuum conſtituit, qui ad Principis nutum rempublicam adminiſtraret.

Subſidio deinde venit fœderatis in Gallia.

§. *XXIV.* Poſthæc Carolus A. 1468. arma vertit in Ludovicum G. R. qui denuo in opprimendo ſuo fratre Carolo, & Franciſco, Britanniæ Duce, lateque eorum provinciis vaſtandis, laborabat, atque eo conſilio clandeſtinis artibus Leodios ad tumultum inſtigaverat, ut Carolus, in iis debellandis occupatus, his ſuis fœderatis ſubvenire non poſſet. Poſtquam vero Peronam usque cum exercitu pervenerat Carolus, certior reddebatur de reſtaurata interea pace in Gallia, & disjunctis a ſe fœderatorum animis, quamobtem cum Rege de reddendis tantum centum & viginti aur. millibus, in hanc expeditionem abs ſe impenſis, tranſigendum cenſuit, cujus pecuniæ dimidia pars ſtatim etiam perſoluta fuit. Minus prudenter poſtea Ludovicus, immemor revocandorum a Leodiis oratorum, colloquendi cum Carolo facultatem petiit, quam etiam data fide ægre impetravit. Modico itaque

Digitized by Google

ad §. XXXI.

III.

Linea Comitum Bononiæ & Arvernia.

N. N.

Wilhelmus
Comes
Bononiæ & Arveniæ.

JOHANNES.

Hugo VI
Dux Bur
gund.
† 1315.

Johanna
uxor
Philippi I. Burgundiæ
Ducis.

PHILIPPVS II.
ultimus Burgundiæ Dux.

Digitized by Google

Digitized by Google

itaque ac inermi comitatu Peronam, Burgundicæ tunc ditionis oppidum ad Somiam flumen, est ingressus, atque a Carolo humanissime habitus, usque dum ad eum deferretur nuntius de nova Leodiensium rebellione, quos denuo rex ad arma contra Burgundum, occasione dissidii cum episcopo, Ludovico Borbonio, concitaverat. Vbi vero Tongrorum urbis direptionem a Leodiis factam Carolus percepit, prætexens furtum arculæ preciosæ gemmisque distinctæ, statim Peronæ portas claudi jussit, locatoque ad Regis hospitium milite, eum in custodia veluti asservavit. Per triduum incogitantiæ suæ, omni prodeundi libertate denegata, ingemuit Ludovicus, ex fenestra prospiciens turrim, in qua Carolus Simplex R. clausus abrogato imperio vixerat, simileque fatum summo animi angore expectans. Deliberatum etiam interea a Burgundis fuit, quid de rege, sub specie pacis dolosique colloquii fallente, insidiasque tendente, sit statuendum. Quindecim vero aureorum millibus consiliariis Caroli distributis, Ludovicus perfecit, ut, cum tres potissimum dicerentur sententiæ, una, fidem colloquii non esse violandam, si Leodiorum inimicum se rex profiteretur; altera, Regem fraudatorem rebellionisque facem, diligentissime per totam vitam esse custodiendum; tertia, Carolum esse advocandum, pacemque Confluentinam certis pignoribus restaurandam; prima mitissimaque approbaretur. Convenerunt itaque inter se Ludovicus & Carolus renovata transactione Confluentina, ut rex Carolo fratri Ariam Campaniamque pro Normannia concederet, Philippo Sabaudiensi ablata oppida redderet, atque trecentis cataphractis evocatis Carolum in Leodios comitaretur. Hac pace quoque quatuor ordines Flandriæ æternum exempti sunt a curia Parisiensi, multaque alia emolumenta Carolo parta. Rex, sui juris iterum factus, comitem se præbuit Carolo Leodium accedenti, atque in perfidia contumaces cives obsidenti. In castris Carolus edixit, ut nemo sine cruce Andreæ, quod signum erat Burgundiæ, in publicum armatus prodiret, qua de causa ipse rex cum suis Francis in gratiam Caroli cassidi ejusmodi symbolum perpetuo cum suo probro affixit. Miserabile sane erat

Tradit Ludovicum R. G. Peronæ in custodiam

Facit pacem Peronensem.

Ultimo obsidet Leodium.

Digitized by Google

specta-

ſpectaculum, nihilque perfidius excogitari poterat, quam quod Rex eos, quos vanis ſuis pollicitationibus, auxiliisque antea ſubmiſſis, ad defectiones ſollicitaverat, nunc oppugnaret, atque acclamantibus: *Vivat Rex*, repetito barritu: *Vivat Burgundia*, reſponderet. Erat dies XXX. Octobr. 1468. quo demum Leodium fuit captum, atque poſt direptionem civiumque internecionem dirutum. Numerabantur quadraginta millia hominum in civitate trucidatorum, & duodecim millia mulierum poſt ſtupra in aquis ſubmerſarum. Stimulaverat enim ad haſce cædes Carolum præcipue Leodiorum ultima eruptio, deſperationis furorisque pleniſſima, qua propemodum eum dormientem peremiſſent; prætereaque quoque toties pacem fregerant, bellumque muris refectis, revocatisque exulibus inſtauraverant, ut, ſi ſalvas pacatasque vicinas regiones impoſterum habere vellet, delendi omnino Leodii eſſent. Hac de cauſa cum cingeretur oppidum juſſit milites una manu vagina eductum gladium, altera ardentem facem geſtare, hocque horrendo ſpectaculo obſtinatis & perjuris civibus inevitabile exitium minitatus eſt. Ceterum obſervamus, plerosque ſcriptores in eo conſentire, quod hujus urbis excidium ſumma crudelitate, truculentoque, ac Chriſtiano nomini indigno modo fuerit peractum. vid. IO. MARCHANTIVS *rer. Flandriæ* T. 4. RENERVS SNOIVS *rer. Batav. Lib. IX. p.* 159. MVNSTERVS *in Cosmograph. Lib. II. p.* 134. BROWERVS *Ann. Trevir. Lib. XIX. p.* 297. IOVIANVS PONTANVS *Lib de immanitate.* IACOBVS PICOLOMINAEVS *Commentar. Lib. IV. ap. Freherum T. II. Script. Germ. p.* 128. Erat præterea ille dies dominicus, cum Leodium everteretur, quo canit eccleſia Romana: *Omnia quæ feciſti nobis, Domine, in vero judicio feciſti, quia peccavimus tibi & mandatis tuis non obedivimus*, ut ſorte quaſi divina indicaretur, promeritos fuiſſe Leodios exitialem hanc calamitatem. Aquisgranenſibus, qui Leodios comeatibus juverant octoginta millibus florenorum perſolutis, ignovit; Francemontanorum vero urbem, ex quibus ſexcenti pedites inſigni audacia ultimam illam eruptio-

illudque evertit.

eruptionem, qua Carolus fere perierat, potiſſimum tentaverant, totam exuſſit.

§. XXV. Ludovicus, capto Leodio, a Carolo digreſſus, pactis Peronæ jurejurando ſancitis minime ſtetit, ſed ſtatim poſt reditum, occultis artibus denuo Eduardum, Angliæ Regem, a Carolo abducere eſt molitus. Male enim eum inprimis habuit, quod Eduardus, ſpretis Gallicanis pollicitationibus, Carolo in uxorem conceſſerat ſororem Margaritam, quam pro Carolo fratre miſſis legatis petierat, & quod Eduardus minime aures præbuerat Richardo, Comiti Varvicenſi, adminiſtro factioſo, pecunia eum in finem ab eo conducto, ut Regis animum a Gallo abalienaret, nuptiasque cum Bona Sabaudica, Carolæ reginæ Franciæ ſorore, contrahendas ſuaderet. Quamobrem excitavit Varvicenſem pecunia ſubmiſſa, ut ob neglectam auctoritatem, magnos in Anglia motus A. 1470. cieret, regemque Eduardum de ſolio deturbare, Henricum vero VI. reſtituere, conaretur. Opem vero tulit laboranti Eduardo Carolus, atque Anglia ejecto Varvicenſi, cum poſtea, a rege Galliæ armatus, piratam ageret in mari Germanico, multasque naves mercatorum Flandricorum onerarias interciperet, a. 1470. oppoſuit Henricum Borſalium, cum claſſe quatuor & viginti navium, qui poſt acerrimam dimicationem in littore Anglicano prædones Varvicenſes feliciter diſſipavit. Accepta hac clade Varvicus Amboſiam ſe contulit, (*Amboiſe*) villam regiam ad Ligerim in Gallia, atque ſibi reconciliata Margarita, uxore Henrici VI. Regis Angliæ captivi, Eduardum, Principem Valliæ, Henrici illius filium, eo adduxit, ut in nuptiis cum filia ſua Anna ibi celebratis per Deum creatorem, omneque illud, quod Chriſtiano ſacrum & venerandum eſt, juraret, ſe bellum perpetuum geſturum contra Ducem Burgundiæ ejusque ſocios, atque nunquam illud ſine voluntate regis Franciæ finiturum, ſed potius continuaturum usque ad extremam ruinam Caroli Ducis, omniumque ditionum Burgundicarum expugnationem. Eodem modo pet literas contra Burgundum juravit Ludovicus Rex, qui tamen ante biennium per Chriſtum cruci affixum, ſuum re-

Ludovicus a Carolo avertere ſtudet Angliæ regem per Comitem Varvicenſ.

Comitis Varvicenſis hac de cauſa turbæ.

Fœdus contra Burgundum.

Digitized by Google

demtorem, pacem Peronenſem ſancte ſervaturum jurejurando confirmaverat Tabulas hujus fœderis in ſcriniis Eduardi, Walliæ Principis, fuiſſe inventas, atque abs ſe lectas, teſtatur IAC. MAYERVS *Annal. Flandric. l. XVII. p.* 393. Ad exſequendum hoc conſilium eodem anno menſe Septembri Varvicus claſſem a Ludovico Rege ſibi denuo conceſſam & inſtructam conſcendit, atque disjectis per tempeſtatem Burgundicis navibus, feliciter ad portum Darmudam appulit. Ejus adventu percepto rex Eduardus, ab omnibus deſertus, navigio Hollandico ſaluti ſuæ conſuluit, atque in Flandriam ad Carolum affinem pervenit, a quo honorifice fuit exceptus. Magna poſt ejus diſceſſum in Anglia fit commutatio, Henricus VI. ex carcere educitur, ſolioque poſtliminio imponitur, factio Eboracenſis proſcribitur & peſſundatur, bona Eduardi publicantur. Minime tamen in his turbis animum dimittebat Eduardus, ſed claſſe quatuordecim navium, milite, & quinquaginta millibus aureorum clanculum a Carolo adjutus, menſe Martio impavide trajecit iterum in Angliam, atque ſimulans, ſe non regnum, ſed patrimonium tantum Eboracenſe, repetere velle, improviſo d. XI. Aprilis occupato per populi ſtudium atque favorem Londino, Henricum cepit, & perpetuæ cuſtodiæ addixit. Poſtea d. XIV. April. A. 1471, die feſto paſchæ acriter ad Barnetum pagum, cum Varvico, fortiſſimis copiis appropinquante, conflixit, eumque pugnantem, fuſo fugatoque ejus exercitu, interemit. Reginam etiam Margaritam, Henrici captivi uxorem, ejusque filium Eduardum, Principem Valliæ, ſubſidiis Gallicis fretos, ultima tentantes, d. IV. Maji ad vicum Tenchisberiam in Vallia vicit, hacque duplici egregia victoria inter viginti dies omnem Angliam recuperavit, reique Burgundicæ magnum præſidium denuo attulit, & Ludovici dolos eluſit, conſiliaque deſtruxit.

Pellit Anglia Eduardum.

Eduardus in Angliam redux proſpere rem gerit.

Ludovicus turbat pacem Peronenſem.

§. XXVI. Sub idem tempus, quo Varvicus Gallico auxilio corroboratus in Angliam ad deſtinata proſequenda ſolvit, turbavit etiam pacem Peronenſem Ludovicus G. R. bellumque contra Carolum renovavit. Cauſam belli allegabat, pacem Peronenſem

Digitized by Google

nenſem ſe non ſponte, ſed coacte feciſſe, Carolumque protuliſſe limites, atque occupaviſſe agros, in pacificatione Confluentina minime conceſſos. Hac de cauſa in comitiis apud Turones ſolenniter habitis, graviter eum ob molitiones in Galliæ detrimentum, & denegatam Picardiæ civibus juſtitiam, accuſavit, dictoque die per publicum viatorem eum ad ſummæ regni curiæ tribunal evocavit. Furtim poſtea invadit Sanquintinum, Ambianum, Mondiderium, aliaque oppida ad Somiam flumen, clandeſtinis perſuaſionibus inducta, ut Gallicum militem reciperent, ſeque Burgundicæ poteſtati ſubducerent. Omnia hæc Carolo improviſo imparatoque eveniebant, qui fretus pace nuper facta nullis præſidiis loca illa firmaverat, nullumque expeditum exercitum habebat. Literis itaque datis ad Coneſtabilium Galliæ modeſte conqueritur de bello redintegrato, atque, ut mitius ſecum ageret, Regemque ab conſilio ſe oppugnandi abduceret, rogat. Ille vero reſpondit: Carolum nuptiis filiæ, cum Aquitaniæ Duce contrahendis, poſſe evitare inſtantem belli molem, quæ illum, ſi has recuſaret, procul dubio eſſet oppreſſura, ſolicitatis ad defectionem omnibus Flandriæ oppidis. Atque hæc vera erat cauſa hujus belli ſuſcepti, ut Caroſus cogeretur ad nuptias filiæ, cum Aquitaniæ duce celebranda, a quibus tamen ille vehementer abhorrebat ex ſuſpicione veneficiorum, quibus filia nupta Aquitano potuiſſet e vita tolli, ut omnes opes Burgundicæ ad Gallos pervenirent. Quamobrem licet eo tempore magno in diſcrimine res Burgundica verſaretur, cum non ſolum Gallica arma Picardiæ partem eriperent, Avernique atque Delphinates Burgundiam incurſionibus vexarent, verum etiam Tornacenſes tumultuarentur, multique proceres omnium arcanorum conſcii ad Regem tranſirent, præterea etiam ab Anglis metuendum eſſet, nullatenus tamen filiæ nuptias ſibi extorqueri ſinebat, ſed conſcripto exercitu Picardiam ingreſſus, Pincinacum (*Pinquigny*) primo impetu expugnavit, atque Ambianum acceſſit, Regem ſub ſpecie obſidionis ad proelium vocans, quod cum Rex omni ratione evi-

Digitized by Google

taret, atque Carolus commeatu intercluſus diutius ibi hærere non poſſet, cum Rege d. IV. April. Anno 1470. per literas de induciis in aliquod tempus invito Conestablio, convenit, quæ poſtea in annum, non ſuccedente ex ſententia Ludovici bello Anglico, uti dictum fuit, fuerunt prorogatæ. Inſequenti deinde anno bellum ortum eſt Aquitanicum inter Ludovicum regem & Carolum Aquitaniæ Ducem, ejus fratrem, cui ille, ut longius disjungeretur a Burgundi vicinia, pro Campania, pace Peronenſi facta, Aquitaniam conceſſerat. Hoſtili vero animo Carolus in Regem erat ob nuptias non ſolum impeditas Burgundicas, quas ſibi regnoque perniciosas futuras Ludovicus demum animadvertebat, ſi in potentia Burgundica ſuccederet frater, verum etiam quod ipſi ex diſtracto Armeniaco agro, Lectoram ſolummodo attribuerat, cum plura oppida cuperet. Novis itaque rebus ſtudebat, ac quam diligentiſſime hortabatur Carolum, ut copias in regem cogeret. Morem etiam Carolus gerebat, atque per Atrebates ad fines Ambianorum exercitu progrediebatur. Hic vero moram ei injecit Ludovicus, inſtituta pacis negotiatione, qua Rex Ambianum & Sanquintinum Carolo reſtituere ſtipulabatur, ſi Carolus a fœdere Aquitani & Britanni diſcederet, neque Regem bellum illis inferentem, impediret, quod ſe facturum jurejurando Carolus affirmavit. Verum cum nuntius eſſet allatus de morte Aquitani, quem Rex in ipſo belli molimine per Jo. Fabrum Verſojum, monachum, toxico dato, vita privaverat, Rex confeſtim in Aquitaniam properans, Simonem Quintium, legatum Burgundicum, infecta re diſcedere juſſit, neque pacem ratam habere voluit. Ob hoc ludibrium magna indignatione Carolus bellum reparavit, atque incendiis vaſtationibusque, præter morem, longe lateque in Gallia graſſatus eſt. Fruſtra tamen obſedit Bellovacum, et, cum Britannus ſtato die ad Rotomagum in Normannia cum copiis non adeſſet, per Veromanduos cum exercitu rediit Atrebatum. Menſe demum Septembri 1472. induciæ ſunt factæ adusque proximum Aprilem, quæ poſtea ad Majum anni

mox factæ induciæ, mox ruptæ.

1475.

Digitized by Google

1475. fuerunt productæ. Consulantur de hoc bello Gallici potissimum Scriptores P. AEMILIVS *lib. X. p.* 348. & BVSSIERES *lib. XIII. n.* 13. 59. quos accuratiores inveni, quam Burgundicos, ne excepto quidem COMINAEO.

§. *XXVII.* Inclarescente interea magis magisque Burgundicæ domus potentia & autoritate Carolus a Paulo II. P. M. & Friderico Imp. a. 1470. constitutus est arbiter controversiæ dijudicandæ, quæ inter Geldriæ principes, Arnoldum patrem, & Adolfum filium, per aliquot annos volvebatur. Adolfus enim patri ob longævitatem summa vi abrogaverat regimen, eumque per nives & glaciem, frigidissima hieme, absque calceis raptum, horribili impietate in carcerem detruserat, neque Ducis Clivensis, sororii senis captivi, armis cogi potuerat, ut patrem libertati restitueret. Quamobrem utrosque fide publica Dorlanum Carolus evocavit, eosque causam disceptantes in tribunali sedens audivit. Pronior initio videbatur Carolus in Adolfum ob amicitiam cum eo contractam, equestrique ordine aurei velleris collato corroboratam, & quia ille Catharinam, Isabellæ Borboniæ defunctæ suæ uxoris sororem, in matrimonio habebat: itaque hac ratione litem hanc componere volebat, ut possessionem Geldriæ Zutphaniæque Adolfus quidem retineret, Graviam tamen, ad *Mosam* oppidum, cum senis florenorum milibus annuis Arnoldo traderet. Cum vero has conditiones a Philippo Cominæo propositas superbe respueret Adolfus, atque responderet, se malle præcipitem dare patrem in puteum, & se ipsum deinde eodem conjicere potius, quam in ejusmodi conditiones consentire, sumta quoque veste Gallica postea aufugeret, eum ad se reductum Carolus A. 1471. Vilvordiam abduci, perpetuæque custodiæ tradi jussit, Geldriæ principatu Arnoldo patri restituto. Postea Arnoldus A. 1472. exhæredato impio filio in carcere latente, Carolo ditiones Geldriæ & Zutphaniæ XCII millibus aureorum Rhenensium & certis annuis reditibus, datis permisit, eumque

Carolus arbitrum agit inter principes Geldriæ.

Potitur Geldriæ & Zutphaniæ ditionibus.

eumque etiam moriens heredem nominavit, ut itaque partim venditione, partim jure teſtamenti, Geldria Carolo aſſignaretur. Geldrii vero admodum inviti, & quidem nonniſi armis compulſi, ob nimium cenſum graviaque tributa, quæ Carolus civibus ſuis imperabat, Carolum principem ac dominum ſuſcipiebant, oppidaque Ruremunda, Venloum, Noviomagum fuerunt obſeſſa, antequam deditionem facerent. Zytphaniæ comitatus ſponte ſe ſubmiſit, jure, quod in has ditiones Gerardo, Cliviæ Duci competebat, octoginta florenorum millibus perſolutis a Carolo redemto. vid. AVB. MIRAEVS *in Chronic. p.* 366. COMINAEVS *Lib. IV. c.* 1. HADR. BARLANDVS *in Chronic. Brabant. c.* 122. IACOBVS MEYERVS *in Annal. Flandr. Lib. XVII. p.* 417.

Contendit de loco eum Electoribus S.R.I. in comitiis Ratisb.

§. *XXVIII.* Acquiſita Geldria, pactisque induciis cum Gallo, Carolus cœpit magna in animo conſilia volvere, atque ad regium dominatum magnis auſibus adſpirare. Ante jam miſit ejus oratores ad comitia Ratisbonenſia A. 1471. ad expeditionem contra Turcas ſuſcipiendam inſtituta certamen dignitatis cum Electorum legatis ſuſceperant, atque ſubſellia poſt illos occupare recuſaverant, quod, ſecundum ſententiam in concilio Baſilenſi a. 1443. a. Patribus latam, oratores Burgundici tam in ſeſſionibus, congregationibus & proceſſibus generalibus, quam in aliis publicis & privatis actibus, & locis ſacri collegii, ſedeant & incedant immediate poſt legatos regios propter potentiam autoritatem ſui Principis. Electores vero communem dignitatem, ſtrenue defenderunt, paremque nobilitatem ac vetuſtum morem ipſis objecerunt, ſeque e corpore Cæſaris cum eſſent, nec Regibus quidem, ſi qui adeſſent, cedere oportere contenderunt, ſiquidem in eodem concilio decretum ſit, quod oratores principum S. R. I. Electorum in dominorum abſentia, vel ipſi Electores, vel aliqui eorundem præſentes, debeant ſedere prope Imperatorem, & eſſe, ac ſtare juxta ipſum. Hæc controverſia non antea ſublata eſt, quam Burgundici oratores alteris ſubſelliis ad frontem Cæſaris inter oratores regios locarentur. Tum demum &

ipſi

Digitized by Google

ipsi auxisse Principis sui dignitatem, quod ordine absentium regum sederent, & Electores servasse celsitudinem suam, cum excluſi a primis subselliis Burgundi essent, videbantur, ut hoc refert IO. ANTONIVS CAMPANVS, qui his comitiis interfuit *ep. VII. ap. Freherum Rer. Germ. Script. T. II. p.* 150. conf. LEHMANNVS *Chronic. Spirenſ. L. VII. c.* 112. BROWERVS *ann. Trev. Lib. XIX. p.* 299. CHIFLETIVS *Vind. Hiſp. c.* 14. ZACH. ZWANTZIG *in theatr. præced. P. II. p.* 134. Postea ipsam regiam dignitatem Carolus in comitiis Trevirensibus A. 1473. avidissime ambiit, postquam animo conceperat imperium, quod ab Oceano Germanico usque ad mare mediterraneum excurreret, florentissimisque regionibus ad Rhenum, Mosam, Mosellam, Ararim, Rhodanumque comprehensis, veterum Burgundionum regnum longe superaret, quomodo vero vasta hæc consilia evanuerint, ex sequentibus patebit.

§. XXIX. Edixerat Fridericus Cæsar Augustus A. 1473. comitia imperii Treviri habenda, atque die XXVIII. Septembris cum Adolpho archiepiscopo Moguntiacensi, Georgio Mediomatricum, Gvilielmo Aureatensi, episcopis, Ludovico & Stephano, Bavariæ Ducibus, Carolo Marchione Badensi, Everardo Vurtembergico, Philippo Catimeliboco, Georgio Virnenburgio, Comitibus, aliorumque Principum S. R. I. legatis, hanc urbem ingressus erat, ut ibi de bello in Turcas ducendo, de Galliæ statu, aliisque publicis imperii rebus consultaretur. Posteaquam igitur Carolus eum in via, Mediomatricos transeuntem, per missam honorificam legationem salutaverat, ipse etiam compositis in Geldria rebus ad Trevirim, ut cum imperatore de gravissimis rebus colloqueretur, splendidissimo comitatu properavit. Eodem tempore postulaverat a Mediomatricis, ut ipsi unam urbis portam darent, qua Burgundi libere introire atque exire possent, quod cum illi recusarent, suæque libertati periculosum judicarent, atque sexcentos circiter viros tantum intromittere vellent, respondit Carolus, *maluisse se, quod togere posset, impetrare; esse* Congressus Friderici Imp. & Caroli ab Trevitos.

esse sibi claves portarum in promtu, arma nempe virosque, quibus obditos pessulos removeret. Cum Trevirim accederet, erant in ejus comitatu Ludovicus Borbonius & David, præsules Leodiensium & Trajectensium, Joannes, Dux Cliviæ, Antonius Burgundio, Ludovicus a castello Guidonis, Guido Stymbrecurtius, Olivarius Marcanus, Guilielmus Bieræus, aliique proceres illustres, nobilesque viri quam multi. Adducebat quoque ad ostendendam potentiam dimidiam exercitus partem, ad tredecim millia peditum equitumque, quibus expeditionem in Geldriam fecerat. Appropinquanti Treverim Imperator cum omnibus Principibus ex composito, paulo minus leucæ spatio, obviam processit, eumque ex equo detracta casside in genua procumbentem benigne sustulit, dictaque salute maxima pompa in urbem introduxit. Omnis familia Caroli in hoc introitu ostro auroque fulgebat, cunctaque erant opulentiæ majestatisque plena. In media urbe ad forum longis inter se precibus utrique contenderunt, uter alterum domum comes sequeretur, cumque ambo hunc honorem pertinaciter recusarent, valedicentes invicem discesserunt. Post prandium Carolus Imperatorem eodem die in palatio suo convenit. Illi statim obviam ivit imperator per medium atrium, dextraque prehensum in conclave abduxit. Finito colloquio cum digredientem a se Imperator foras vellet comitari, Carolus hoc obstinate abnuit, atque medias scalas jam descendens, Imperatorem in conatu sequendi confestim adscendens impedivit, atque in conclave reduxit. Paucos post dies ad d. IX. Octobr. Carolus Imperatorem, Principes, eorumque legatos invitavit ad prandium, illudque inaudito apparatu, & plus quam regali magnificentia instruxit. Epuli hujus luxum, omnemque introitus pompam accurate describunt IAC. MEYERVS *annal. Flandr. lib. XVII. pag.* 410. SIGISMVND. A. BVRCKEN *in speculo honor. domus Austr. L. V. c.* 21. *p.* 771. ARNOLDVS DE LAILING, præpositus D. Mariæ Brugensis, & oculatus omnium testis in epistola, quam Latinam fecit Rudolphus Agricola, suisque inseruit *Opp. p.* 222.

Extat

Extat etiam ea *ap. Freherum T. II. ſcript. Germ. p.* 155. COMINAEVS obſervat *L. II. c.* 8. Germanis displicuiſſe immodicum illum luxum,& genus dicendi paulo ſublimius; Burgundiones contra tenuitatem Cæſaris, & exiguum comitatum, & negligentiorem ornatum deſpexiſſe. Quod vero attinet ad negotia inter Fridericum & Carolum ibi tractata, Fridericus quærebat potiſſimum filio ſuo Maximiliano quatuordecim jam annorum juveni, Mariam Burgundiam ſponſam, maximeque ſimul urgebat, ut ſtatim nuptiæ celebrarentur. Carolus vero petebat a Friderico, ut antiquum Burgundiæ regnum extinctum reſtauraret, & eum non amplius Ducem, ſed Regem Burgundiæ appellaret, quatuorve Belgicæ diœceſeon jus imperii ſibi cederet, nempe Vltrajectenſis, Eburonum, Cameracenſis, ac Tornacenſis, atque eum perpetuum vicarium & procuratorem imperii in oris Gallicanis conſtitueret. Cæſar ſeſe omnia facturum pollicebatur nuptiis contractis cum Maximiliano & Maria; Carolus cupiebat, ut ante illas Rex Burgundiæ, & Vicarius imperii renuntiaretur. Quo magis vero Imperatorem ſibi conciliaret, precibusque ſuis propitium redderet, publice illi fidem de Ducatu Geldriæ, quam præſtare longo tempore Duces Geldriæ renuerant, ſolenni jurejurando adſtrinxit, uti etiam de aliis provinciis, quas xu beneficiario ab imperio Germanico poſſidebat. Spei itaque recuperandæ regiæ dignitatis plenus, coronam, ſceptrum, ſolium, vexilla, plaudamentum regium, parari, baſilicamque D. Petri aulæis exornari juſſit, atque Georgio Metenſi epiſcopo, inaugurationem unctionemque demandavit. Hoc ubique etiam fama divulgavit, ſiquidem STETLERVS *in chronico Nuchtland. L. V. p.* 221. refert: *Daß die von Bern ein Schreiben auf Vigilia Andreæ an die drey Stande Lucern, Freyburg und Solothorn ausgehen laſſen, daß der Herzog von Burgund gewißlich auf den Donnerſtag nach S. Catharina wurde für einen Kœnig gekrönet werden.* Dum vero omnia ad pompam ceremoniasque inſtruuntur, Ludovicus, Francorum Rex, clam ad Imperatorem perſcriptis literis

Negotia inter eos.

Carolus ſpe regiæ dignitatis deluditur.

Digitized by Google

disſuadet quam maxime coronationem Burgundi, atque extinguendam potius, quam alendam cenſet Caroli immodicam ambitionem, qui non ſolum huc tendat, ut in Burgundia, regio titulo ornata, acquieſcat, ſed imperii ſummi faſtigium anhelet. Multa alia monuerat Ludovicus, quæ ita Fridericum in diverſa rapiebant, atque ipſi Carolum ſuſpectum reddebant, ut ſubito, ne ſalutato quidem Burgundo, Coloniam concederet, ſub ſpecie ſedandæ ibi discordiæ inter Archiepiſcopum & civitatem. Carolus maximo ludibrio hoc improviſo Cæſaris diſceſſu expoſitus omnem ex eo tempore curam intendit, ut Cæſari noceret, ejusque autoritati quovis modo detraheret, quod vero illi admodum infeliciter ceſſit.

Quamobrem adſpiravit ad regiam dignitatem.

§. XXX. Cauſa præcipua, quamobrem regium titulum maximo ambitu quærebat Carolus, erat ſumma atque illimitata poteſtas, (Gallis dicitur *la Souveraimité*) qua ſe poſt ruptam a rege Ludovico pacem Peronenſem potitum eſſe, ſibi perſuadebat. Nam in pace illa expreſſe cautum fuerat, quod ſi Rex contra hanc veniat pacem, Carolum ejusque hæredes liberos fore & ſolutos ab omni fidelitate & homagio illi præſtandis, ab omni clientela & ſupremo imperio in Burgundiam & Flandriam. vid. IAC. MEYERVS *p.* 395. Hoc etiam affirmat Anonymus Cancellarius Burgund. *in opuſculo de controverſiis Franco Burgund. ap. Leibnitium in mantiſſa Cod. I. G. diplomat. P. I. p.* 7. *Je dis tiercement, que feu mon dict Sieur le Duc Charles maintenoit, que par la contravention du Roy au traicté de Peronne faict en l' an ſoixant hoict il avoit acquis le droict de ſouveraineté ex parties du Roy de France, qui eſtoit de ſon obeiſſance, comme en la Duché de Bourgongne, Comté de Masconnois, Auxerrois, Charalois, pais de Picardie, Comté de Flandres & d' Artois &c.* Hac de cauſa potuiſſet omnino propria autoritate, ut princeps qui in hisce ſuis terris neminem amplius ſuperiorem agnoſcebat, aſſumere regiam dignitatem; ſed quia Ludovicus contendebat, a Carolo potius per terminos in Picardia motos, quam a ſe pacem Peronæ-

Peronenſem fuiſſe imminutam, hacque ratione ſumma adhuc inter eos erat controverſia de ſummo imperio ac clientelari jure, præoptabat Carolus Regis appellationem ab Imperatore accipere, quam inconſulto eo ſumere ſibi & arrogare titulum, quo uſurpato utriusque invidiam ſubiiſſet. Aſſenſum Cæſaris ſuadebat ipſi pronum antea Friderici in patrem Philippum Bonum ſtudium quo illi A. 1462. regiam dignitatem detulerat, teſte epiſtola 395 Pii II. P. M. quam ille tamen pertinaciter renuerat. Sed hac ſpe excidebat Carolus, cum Cæſar, partim offenſus nimia ejus magnificentia ſummoque faſtu, partim literis Ludovici abductus, improviſo Treviri diſcederet, minusque faventem ſe conſilio ſuo præberet. IACOBO MEYERO *Annal. Flandricor. ſcriptori p.* 411. videtur prudenter admodum Imperator abſtinuiſſe creatione novi Regis. *Nam, quo pacto*, inquit, *potuiſſet Carolum Regem facere, niſi cum incredibili Imperii vulnere tot Romanas provincias voluiſſet illi tradere, quod nulli Imperatorum licet. Porro Imperatores, quamvis Reges illis ſubjiciantur, & omnis nobilitas ab Imperatore potiſſimum proficiſcatur, non tamen conſueverunt reges creare, ſed reges ex barbaris nati ſunt, ac ſeipſos reges fecerunt gravi damno imperii, quemadmodum de Longobardis in Italia, Hunnis in Pannonia, Gothis in Hiſpania, Vandalis & Francis in Galliis, Saxonibus, Anglis, Scotis in Britannia, hiſtoriæ affatim teſtantur, qui quicquid poſſederunt, & hactenus poſſident, Romano adimerunt imperio* &c. Sed hæc MEYERI ratiocinatio nimis longe petita mihi videtur. Nolo hic de jure reges appellandi uberius diſſerere, quod omnium accuratiſſime ex doctrina juris gentium explicuit excellentiſſimus Halenſis Academiæ Jureconſultus, IO. PETRVS LVDWIG ſed taxabo ſolummodo errorem, quo utrique aſſerunt, Imperatorem ea de cauſa denegaſſe Carolo regium titulum, quoniam Ducatus Burgundiæ feudum imperii fuerit, cum tamen ex hiſtoriarum monumentis abunde conſtet eum fuiſſe feudum Gallicum. Manifeſte noſtram hanc aſſertionem corroborat ipſum diploma

Ducatus Burgundiæ fuit feudum Galliæ.

ploma Johannis R. F. quo Philippo, Filio quartogenito, Ducatum Burgundiæ die ſexta Decembris (non Septembris uti mendoſe ap. Gollutium) An. 1363. conceſſit, cujus inter alia hæc ſunt verba: *Salvis inſuper & retentis nobis & ſucceſſoribus noſtris Regibus Franciæ ſuperioritate & reſſorto dictorum donatorum Duci & homagio Ducis præſtando, modo debito & conſueto fieri & præſtando, modo debito & conſueto fieri & præſtari, per Duces Burgundiæ temporibus anteactis, regalibusque & juribus aliis Regis ad nos pertinentibus ad cauſam noſtræ Coronæ, & quæ habebamus vivente ultimo defuncto Duce in Ducatu prædicto* &c. vid. *Codex diplom. J. G. illuſtris Leibnitii P. 1. n. 97. p. 221.* Hoc quoque Rex Johannes ſibi in hac conceſſione reſervabat, quod ſi Philippus filius, vel ſua poſteritas procreanda, deceſſerint absque hærede ex proprio corpore ſuccedente, univerſa Burgundia donata pleno jure integraliter revertatur ad ſe, vel ſucceſſores ejus Reges, qui pro tempore fuerint, Gallicæ coronæ domanio applicanda. Nam eatenus etiam ad ipſum pervenerat Burgundia mortuo Philippo, poſtremo Burgundiæ Duce in ſtirpe Robertina An. 1361. quatenus, cum concederet illum filio, eum reverti aliquando cupiebat.

Quomodo pervenerit ad Johannem R. G.

§. XXXI. Hac vero occaſione, cum denuo mentionem facimus hæreditatis opimæ, quam Johannes Rex eo tempore adiit, non poſſumus non corrigere ea, quæ in *§. XII.* hujus diſſertationis diximus, atque quomodo ſucceſſio & diviſio hæreditatis vere fuerit inſtituta paulo aliter tradere, quam ibi ex autore quodam Gallico, qui non accurate perſonas ſuccedentes diſtinxit, fuit factum. Nimirum Philippus ultimus B. D. acceperat ab avo Eudone Ducatum Burgundiæ, ab avia Johanna comitatum Burgundiæ & Arteſiæ, a matre Johanna comitatum Arverniæ & Bononiæ. Eo itaque mortuo tranſiit Ducatus Burgundiæ ad R. Galliæ, Johannem, Philippi, Ducis, amitæ magnæ filium, Comitatus Burgundiæ & Arteſiæ ad Margaritam Flandricam, Philippi Ducis materteram magnam, & comitatus Bononienſis & Arverniæ

Digitized by Google

niæ ad Johannem Bononiensem Philippi Ducis patruum magnum, prouti omnem hanc successionem in adjecto schemate repræsentavimus. Vid. *Controversiæ Franco. Burgund. l. c. p.* 14. Ad hunc Philippum quoque ultimum referendum potius diploma indulgens veniam ætatis a Chiffletio productum, quam ad Philippum Audacem, Johannis R. G. filium. Hic enim A. 1355. nondum erat Dux & Comes Burgundiæ. Dum enim diploma ita incipit: *Carolus IV. divina favente clementia, Rom. Imperator semper Augustus & Bohemiæ Rex, illustri Philippo, Duci & Comiti Burgundiæ, Principi & consanguineo nostro dilecto, gratiam nostram & omne bonum*, omnino in eo fermo est de Philippo illo ultimo B. D. qui natus 1345. patre mortuo A. 1346. veniam ætatis ratione comitatus Burgundiæ ab imperatore A. 1355. allegato diplomate impetravit. FRIDERICVM LVCAE *in uhralten Fürsten-Saal p.* 987. & CHR. IVNCKERVM *l. c.* ut ad Philippum Audacem hoc applicarent diploma, ib. BODINVS permovit, qui *Lib. I. de rep. c.* 10. inquit: *Burgundiam liberam Carolus IV. Cæsar Philippo Audaci, prole masculâ comitum extincta imperiali jure fruendam dedit*, quod omnino bene se habet, minime vero infert, diploma allegatum competere etiam Philippo Audaci, quod ratio temporis omnesque aliæ circumstantiæ Philippo ultimo, uti dictum fuit, vindicant.

Schema successionis Burgundicæ.

§. *XXXII.* Sed ut eo revertamur, unde digressi sumus, paucis adhuc monemus, Carolum reducem ab Imperatore in Belgium, summam Mechlinæ curiam, quam Galli *parlamentum* vocant, instituisse, ad justitiam omni in Belgio administrandam, atque a qua non daretur provocatio ad aliud tribunal. Ipse in hoc concilio præsidebat, eoque absente Cancellarius. Assessores erant triginta, magistri supplicum libellorum sex, scribæ decem. Antea enim Flandricæ præcipuæ controversiæ per provocationem ad summam Lutetiæ curiam devolvebantur, sed cum post imminutam pacem Peronensem Carolus Regem Galliæ in ditionibus suis superiorem amplius non agnosceret, prohibuit etiam hoc insti-

Instituit parlamentum Mechlinii.

Digitized by Google

tuto ſummo tribunali cives, ne imposterum ad parlamentum Pariſinum appellarent. Illuſtris autor *Fecialis Europæi p.* 416. accurate hoc attendit, dum ſcripſit: *K. Ludwig XI. vergliche ſich mit H. Carln von Burgund zu Peronne A.* 1468. *auf dieſe faſt disreputirliche Weiſe, daß wenner den Tractat brechen wurde, ſolte der Herzog und alle ſeine Unterthanen von der franzöſiſchen Oberbotmaſſigkeit ipſo facto frey ſeyn. Da ſichs nun alſobald begab, declarirte ſich der Herzog vor ſouverain in denen franzöſiſchen Lehns-Provinzen, richtete dahero eine ſouveraine Cammer zu Mecheln auf, dahin die Appellationes aus Flandern und Artois ergehen ſolten.* Floruit hæc curia usque ad Caroli mortem ſummaque ſeveritate jus dixit. Carolo mortuo extremæ provocationis jus ſibi denuo vindicavit Rex Galliæ, atque Philippus Auſtriæ dux, Caroli V. Cæſaris pater, ſe fiduciarium Ludovici XII. regis profeſſus, declaravit, ſe rebus a curia Pariſiorum judicatis obſequi paratum, nec Atrebates aut Flandros, quo minus curiam Pariſiorum appellarent prohibiturum, teſte BODINO *Lib. I. de rep. c.* 10. Reliquas Caroli res geſtas, notatuque dignas actiones altera diſſertatione, ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν, proſequamur.

DISSER-

DISSERTATIO HISTORICA II.
DE
CAROLO BELLICOSO VLTIMO BVRGVNDIAE DVCE.

§. I.

INcrementa potentiæ gloriæque Burgundicæ ſub auſpiciis Caroli Bellicoſi, Ducis, nuper ſtrictim ediſſeruimus; reſtat, ut pariter, ea, qua par eſt, fide, recenſeamus repentinam tantarum virium inclinationem & diminutionem per multos adverſæ fortunæ caſus, quæ ſub eodem Principe, pro variante rerum humanarum ſorte, inſecuta eſt, atque hac ratione vitæ rerumque a Carolo geſtarum ſeriem ac enarrationem digno modo abſolvamus. Caroli B. D. vires imminuuntur

§. II. Poſt infractam regiæ dignitatis adipiſcendæ ſpem nihil gravius moleſtiusque Carolo accidit, omnesque ejus moliones in augendis opibus, & proferendo dominatu vehementius perturbavit, & intervertit, quam redemptio comitatus Ferretani, Sundgoiæ, Brisgoiæ, Alſatiæ, civitatumque quatuor ita dictarum ſylveſtrium, Rhenofeldæ, Seconii, Lauffenburgi, & Waldshuti, quas ei Sigismundus, Auſtriacus, Friderici IV. ſenioris, archiducis comitisque Tirolenſis filius, inſtinctu quorundum nobilium Suevicorum, in ſummum dolorem maximamque ſolicitudinem Helveticorum A. CIↃ CCCCLXIX. pro octoginta aureorum millibus oppigneraverat, & quarum ditionum, tam commode cis & ultra Rhenum ſitarum, acceſſione fines ſuos inſigniter amplificatos eſſe, Carolus non fruſtra gloriabatur. Sopitis vero poſtea, per redemtionem oppignoratarum Auſtriacarum ditionum.

Digitized by Google

ſtea, ſtudio Ludovici XI. Galliarum regis, gliſcentibus inter Sigismundum & Helvetios odiis, cum præfectus a Carolo hiſce regionibus Petus Hagenbachius ſuperbe atque crudeliter imperaret, civesque creberrime acto cenſu, indictisque novis & inuſitatis tributis ac vectigalibus expilaret, & multo peregrino milite, hiemandi cauſa introducto, premeret, non ſolum ipſi cives anxie Sigismundum implorarunt, ut accepto auri pondere Burgundo reſtituto eos ab intoleranda Hagenbachii nequitia & tyrannide liberaret, verum etiam Gallus & Helvetii, quibus maxime intererat, ut hæ provinciæ Carolo ſubtraherentur & ad priſtinum dominum redirent, omnibus modis eum inflammarunt ad illas reluendas. Itaque enumerata ab Argentorato, Baſilea, & Colmaria pecunia Sigismundus, A. CIↃ CCCCLXXIV. repignerare ſtuduit has regiones, & cum Carolus eas reddere recuſaret, miſſumque caduceatorem, qui hoc ei indicaſſet, in carcerem detruderet, depoſita pecunia in fidem publicam civitatis Baſileenſis, invito Carolo, protinus occupavit pignoratitias terras, lætaque acclamatione afflicti populi eſt exceptus. Rebus tam ſubito converſis adhuc tamen Briſaci hærebat nequiſſimus Hagenbachius, exercitum domini ſui opperiens, quo Sigismundum avitis poſſeſſionibus recuperatis expelleret, civesque ad obſequium reduceret; ſed captam eum ab varias virorum innocentium cædes, illataque honeſtis feminis ſtupra, Sigismundus capite plecti juſſit. Valde hic temporum rationes perturbaſſe GERARDVM *de* ROO *Lib. VIII. p.* 219. *Annal. Auſtriac.* obſervo, dum in illud tempus ſupplicium ab Hagenbachio ſumtum refert, quo jam Noveſium circumſederat Carolus. Sed CHRISTIANVS WVRSTEISIVS *in Chronico Baſileenſi Lib. V. c.* 5 & IO. STVMPFIVS *in Chronic. Helv. L. VII. c.* 18. clare nominant diem lunæ ante inventionem crucis in menſe Majo A. CIↃ CCCCLXXIV. quo carnificis ictum ſubiit Hagenbachius, quinto vero Calend. Auguſti cœpta eſt obſidio Noveſii. Sed hæc obiter. His atque omnibus vehementer commovebatur Carolus, & quanquam rebus Colonienſibus intentior non ſtatim

ad

Digitized by Google

ad has regiones armis vindicandas provolaret, curabat tamen, ut illæ, dum ad Noveſium hæreret, variis invaſionibus direptionibusque divexarentur. Quicquid vero irarum ex his incommodis collegerat primo impetu evomebat in Henricum Wurtenbergicum, Montisbellicardii dynaſtam, amicum antea ſuum & aſſiduum per Alſatiam comitem, cum hanc regionem, paulo ante inſtinctu Hagenbachii perluſtraſſet, quem propterea quod recuſaret ei tradere Montisbellicardii clauſtrum, quod aditum aperiebat in Ferretanam ditionem, vinctum ad arcem adductum, genibusque flexis carnificis ictum expectantem, aliquoties e regione cuſtodi arcis oſtendi juſſit, qui tamen, quod non deficeret in Wurtenbergenſium gente alter, qui hæres ditionum, ultorque innocentis ſanguinis profuſi futurus eſſet, obſirmato ad ſævitiam animo, deditionem facere obſtinatiſſime renuit; quamobrem poſtea Carolus Henricum Wurtenbergicum priſtinæ libertati reſtitutum abs ſe dimiſit. Hac auſtriacarum regionum num redemtione denuo Carolo præciſa fuit ſpes ſpatioſiſſimi regni, quod ab oceano Germanico per continuum Rhenenſium provinciarum tractum trans Alpes ad mare mediterraneum usque vaſtiſſimis cogitationibus conceperat.

§. III. Obſidio Noveſii deinde multum damni attulit Carolo, atque non ſolum ejus opes attrivit, ſed terrori nominis quoque, quo ob bella Gallica, excidiumque Leodienſe impleverat Europam, mirum quantum derogavit. Potuiſſet conſultius ab hac abſtinere, & cum Anglo ex compoſito renovare bellum in Gallos eosque plane obterere, niſi cupido ulciſcendi repulſam regiæ appellationis eum ſtimulaſſet, ut ſe diſſidiis graviſſimis, quæ inter Rupertum Palatinum, Vbiorum pontificem, collegiumque canonicorum gliſcebant, immiſceret, eumque, cum illi ob violata pacta conventa pontificatus fuiſſet abrogatus, omnibus etiam reditibus interceptis, contra omnes adverſarios tuendum ſuſciperet. Faciebat hoc libentiſſimo animo in fraudem injuriamque majeſtatis Cæſaris, eoque invito & reclamante ſe archiepiſcopatus

Immiſcet ſe controverſiæ Coloniensi.

Digitized by Google

Colonienſis advocatum, ſeu patronum, appellitabat, ea procul dubio ſpe, quod, uti ex diſcordia, quæ inter Geldriæ duces patrem & filium, per multos annos duraverat, potentia ſua, dum arbiter ejus conſtitutus fuiſſet, creviſſet, ita etiam per hanc controverſiam Colonienſem fortaſſe poſſet inſignem aliquam Germaniæ Rhenanæ partem ad ſe trahere, atque priora poſtulata Imperatori extorquere, vel certe celebritatis ſuæ magnitudinem adaugere. Hac de cauſa cum Colonienſes Rupertum reſtituere nollent, & Hermanno, Haſſiæ Landgravio, metropoleos adminiſtrationem committerent, Carolus, coacto militum ſexaginta millium exercitu, quo ex Cominæi confeſſione majorem ante id tempus non habuerat, eos ad obſequium Ruperti redigere voluit, finesque eorum A. CIↃ CCCC LXXIV. ingreſſus Noveſium arctiſſime circumvallavit. Erat hoc oppidum ea ætate duplici foſſa, vallo, & aliquot propugnaculis munitiſſimum ad Erpiam amnem, cuius ſiniſtrum latus Rhenus alluebat, ex quo, cum alveo mutato inde receſſit, civium labore & induſtria foſſa ad loci commerciorumque commoditatem eſt ducta. Hoc itaque eo conſilio adoriebatur Carolus, ut Bonna inferius ad Rhenum ſita, eodem modo a Ruperto oppugnata, omni commeatu Colonienſes intercluderentur, citiusque debellarentur. Cæſar Auguſtus Fridericus V. accipiebat nuntium de obſeſſo Noveſio in comitiis Auguſtæ Vindelicum, &, cum utique ex re imperii Germanici eſſet, depellere principis alienigenæ illatam vim, & proſpicere, ne metropolis Vbiorum detrimentum caperet, facile adduci potuit, ut, conſcripto omnium imperii ordinum auxilio, afflictis Voveſiis ſuccurrendum eſſe, ſtatueret, imprimis cum Colonienſes præſtarent omnes illos ſumtus, qui per integra comitia in Cæſaris victum facti erant, inhibitasque ab tumultuante plebe Auguſtana Cæſareas ſarcinas poſt diſceſſum Cæſaris, parata pecunia redimerent, præterea etiam Cæſari largiſſima ſtipendia ad centena aureorum millia per totam expeditionis durationem ſponderent. Lente admodum & non ſine magna cunctatione intra ſeptem

obſidet fruſtra Noveſium.

menſium

menſium ſpatium convenientibus ordinum imperii agminibus, Carolus interea omne illud tempus oppugnando, inſultando, quatiendo, cuniculos agendo apud Noveſium conſumſit, omniaque diurnis nocturnisque laboribus tentavit, ut oppido potiretur, ſtrenue urbem defendente Hermanno Haſſo, obſidionisque moleſtias & diuturnitatem cum valido præſidio fortiter ſuſtinente, ſex & quinquaginta oppugnationibus maſcule depulſis. Cum demum An. CIↃ CCCCLXXV. octoginta millia militum, ex imperio Germanico congregati, ad liberandum Noveſium ſub auſpicio ipſius Cæſaris & ductu Alberti, Achillis Brandenburgici, appropinquarent, atque ex itinere Sinzigium & Lincium, numeroſo præſidio a Ruperto firmata oppida, expugnarent, ſtudebat Chriſtianus I. Rex Daniæ, Roma redux, & ad caſtra Caroli accedens, eum permovere, ut obſidione deſiſteret, ſed noluit ille inde, quam devicta urbe diſcedere, Cæſaremque imperterrito animo præſtolatus eſt. Certior enim erat per transfugas indies graviorem atque aſperiorem oppidanis fieri obſidionem, eosque ſalis rerumque aliarum ad vitam neceſſariarum inopia, fameque laborare, & jam CCCCXXX. equos comediſſe, ut nullum eſſet dubium, quin demum cibariorum penuria, quæ fortiſſimos perdomat, civium pertinaciam, quæ ad tot aſſultus, totque baliſtarum concuſſus immota invictaque ſtetiſſet, ſit fracturus. Verum perduravit Noveſium in ſummis obſidionis periculis, & maxima inediæ laborumque tolerantia, usque ad Germanici exercitus adventum, cum quo Carolus, acceptis ex provinciis ſupplementis bis dimicavit, magis tamen tumultuario concurſu, quam juſta acie inſtructa, ſiquidem Cæſar intra carros, quos pro vallo Burgundis objecerat, ſtudio exercitum continuit, noluitque recentes ſuas copias cum veteranis Burgundis committere, ne uni diſcrimini univerſi imperii vires exponerentur, præſertim cum promiſſa viginti illa militum millia ab fœderato Rege Galliæ, ob metum belli Anglici, non ſubmitterentur. Diſſentiunt in hoc argumento inter ſe ſcriptores Germanici & Burgundici, dum hi ſtragem Germanis a Carolo illatam

Digitized by Google

esse dictitant, quod illi pernegant, & non solum perexiguum cæsorum militum numerum in binis dimicationibus tecensent, sed etiam ex altero conflictu Germanos superiores discessisse, merito gloriantur. Vltro vero citroque commeante Alexandro, Forolivienſi episcopo, summi pontificis Romani per Germaniam legato, post pactas per triduum inducias, pridie calendarum Jun. pax est sancita, iis legibus, ut Carolus omnem controversiam Colonienſem arbitrio summi pontificis Romani permitteret, Novesio discederet, atque a tuendo Ruperto desisteret. Annotavit præterea Maximilianus Cæsar in suis commentariis, pactionem de nuptiis suis cum Maria Burgundica denuo per hanc pacem fuisse confirmatam, quam conditionem quidam scriptores, hujus pacificationis mentionem facientes, prætermittunt, quoniam procul dubio ad declinandam invidiam ad aliquod tempus fuit celata. Quod vero hæc renovatæ desponsationis necessitas Carolo in pœnam inobedientiæ, & loco resarciendarum belli impensarum ab Imperatore fuerit injuncta, uti traditur in IO. IACOBI FVGGERI *Spiegel der Ehren des Ertzh. Oesterr.* Lib. V. c. 24. (quem librum utinam Sigismundus von Bircken non interpolasset, nativa sua pulchritudine adhuc ille coruscaret) mihi non persuadere possum. Nondum enim adeo perdomiti infracte que erant magni ferocesque spiritus Caroli, ut etiam multæ & restitutionis legi se subjecisset, hac etiam ratione Cæsari solum, non vero imperio universo, quod hanc expeditionem nullo emolumento susceperat, satisfactum fuisset. Non consensisset Carolus in hæc pacta, nisi eum ab obsidione Novesii, præter opinionem diuturniore difficilioreque, revocasset restauratum a Rege Galliæ in Picardia bellum, & trajectus Eduardi, Angliæ Regis, fœderati ad Caletos cum exercitu. Itaque ne a tergo relinqueret hostes, perditis in gentibus sumtibus, & attenuato exercitu ad quatuor millia lectissimorum militum (alii augent numerum ad quindecim millia quod vix credibile) solvit obsidionem urbis, per annum fere hiemisque inclementiam durantem, quæ demum intra decimum diem, urgentibus intestinis malis, in

pacem facit cum Cæsare,

ejus

Digitized by Google

ejus veniſſet poteſtatem, ſi oppugnationes continuaſſet, vid. COMINAEVS *Lib. IV. c.* 1. *&* 2. OLIVERIVS MARCANVS *in Comment. L. II. c.* 1. teſtis oculatus, RENERVS SNOIVS *Rer. Batav. Lib. XI. p.* 164. MEYERVS *annal. Flandr. L. XVII. p* 413. BARLANDVS *in Chronic. Brabant. c.* 129. CHRONICON ELWANGENSE T. I. *ſcript. a Frehero edit. p.* 466. FVGGERVS, l. c. GERARDVS ROO *in Annal. Auſtr. L. VIII. p.* 314. ALB. KRANZIVS *Saxoniæ L. XII. c.* 12. *&* 13. *& Wandaliæ L. XIII. c.* 11. Inter diplomata & documenta ſubjuncta hiſtoriæ Friderici V, ab Aenea Sylvio deſcriptæ, & a Bœclero editæ, extat *p.* 58. epiſtola Imperatoris ad Carolum data Francofurti die III. Decembr. A. LXXIV. quæ varias continet exprobationes inquieti animi, nimiæ fiduciæ „in armis, objicitque Carolo, quod ejus animus ſit ad uberri„ma eccleſiæ telonea, item, quod ſit faſtuoſus, turgidus, rebel„lis, qui jure feudi, quod ab imperio teneat, Cæſari ſit manci„patus, & talia ceptet, quæ minime vaſallum deceant. Ibidem quoque *p.* 51. inſerta eſt epiſtola Caroli ad Archiepiſcopum Moguntinenſem Adolphum in caſtris ad Nuſſiam prima Nov. ſcripta, „in qua Imperatori contradicit, bellique Colonienſis æquitatem „ex eo potiſſimum oſtendere contendit, quod ipſi Pontifex Ro„manus non mediocriter Rupertum eccleſiamque Colonienſem „commendaverit, & quod omnis factio capitularis pridem cum „Francorum Rege hoſte ad perniciosa adverſus Burgundiam pol„licita, fœdus fecerit. Sed Imperator reſpondet in allegata epi„ſtola, ſanctiſſimum Dominum ſuum Apoſtolicum ex falſa ſug„geſtione Carolo eccleſiam Colonienſem commendaſſe, verita„te tum liquidata melius doctum in æſtate effluxa, legatum ſu„um Marcum de latere, ad illum legaſſe, cui nullam audientiam „dare Carolum voluiſſe, ne illum ex juſſu ſanctiſſimi ab armis „diſcedere oporteret, atque literas apoſtolicas contra illum & „epiſcopum Colonienſem, ſtrictiſſimo vinculo anathematis inno„datum, fulminatas ipſi exhiberet. Apud REINERVM SNOIVM etiam l. c. & FVGGERVM invenimus ipſam conteſtationis formulam, qua ſe hoſtes mutuo profeſſi ſunt Cæſar & Carolus. FVG-

Digitized by Google

GERVS quoque exhibet literas publicas, quibus ſemel atque iterum imperii ordines ad arma, contra Burgundum capienda convocavit Cæſar. Indicem CCCL. majorem minorumque tormentorum, quibus uſus eſt Carolus in obſidione Noveſii, vide in BERNHARDI HERTZOGII *Chronico Alſatiæ L. II. c. 63.* Hoc denique, antequam ab obſidione Noveſii diſcedamus, monendum eſt, Cæſarem in jus vocaſſe Gerardum, ducem Juliacenſem & Bergenſem, quod Carolo ſe non oppoſuiſſet, eumque ſubmiſſo commeatu adjuviſſet, eundem tamen poſtea cognita excuſatione abſolviſſe, quoniam ille, cum armis Caroli reſiſtere non potuerit, in ſalutem ditionum, in quibusdam quidem illi morem gerere fuerit coactus, minime vero ejus auſus libidinemque laceſſendi Germaniam probaverit.

Experitur Ludovicum G. R. denuo hoſtem,

§. IV. Carolus ab longa Noveſii obſidione redux inveniebat in ditionum ſuarum finibus & amicos & inimicos in armis, Eduardum IV. Angliæ Regem, affinem, qui cum lectiſſimo exercitu ad bellum, Gallis eius inſtinctu inferendum, Caletos interea trajecerat, & Ludovicum, Galliæ Regem, qui finitis pridie Calend. Maji A. LXXV. induciis, quas protrahere recuſaverat Burgundus, invaſerat Picardiam, ſedecimque oppida & caſtella receperat, vaſtata incendiis omni regione inter Abbevillam & Atrebatum interiacente. Cum enim Ludovicus Cæſarem ob auxiliares copias non adductas ſibi offenſum, & pronum ad transactionem cum Carolo intellexiſſet, hac invaſione ſtuduit eum a pacificatione revocare, eumque per Jo. Tercelinum legatum ad novum fœdus de dividendis provinciis Caroli, utrinque communibus armis opprimendi, invitavit, ut Cæſar ſibi vindicaret clientelas imperii, ipſe ſibi aſſereret juris Gallici ditiones, quod Cæſar vero recitato eleganti apologo de tribus protervis juvenibus, qui urſi vaſtatoris cujusdam pellem cauponi pro ſymbolo prandii promiſiſſent, antequam illum captum interemiſſent, repudiavit. Vtique enim Ludovicus ex conſilio familiaris cujusdam rerum Germanicarum maxime periti, quem ipſum Cominæum Meyerus fuiſſe ſuſpicatur, facta ſervan-

Digitized by Google

ſervandarum induciarum ſpe, procuraverat Burgundi potentiam ad Germaniam allidere, cujus tantas cognoſcebat eſſe vires, ut, fieri non poſſe, autumaret, quin eo bello; nullo Galliæ malo & periculo, totus abſumatur, omnesque collectas opes, huic pelago immerſus, perdat. Notamus obiter, Gallos, nequiſſimos alias noſtri nominis obtrectatores, in deſcribendo hoc vaferrimo conſilio Germaniæ vires valde celebrare, eique paſſim attribuere corpus ferreum, validiſſima membra, maximum & incredibile robur. Sed cum Carolus Germania ſibi reconciliata ſalvus rediret, armaque cum Anglis conjungere, & in Gallos vertere decerneret, omnis tam ampla ſpes evanuit, maximaque trepidatio animos Gallorum inceſſit. Jam ante Noveſii obſidionem Carolus inſtigaverat Eduardum, ut numeroſiſſimo exercitu transjiceret, Galliæque poſſeſſionem repeteret, hancque ob cauſam prorogare inducias cum Ludovico recuſaverat, ut promto auxilio Eduardo adeſſe poſſet. Verum integer effluxit annus, antequam ex ſententia populi Anglicani ſe ad hanc expeditionem compararet Eduardus, & demum menſe Julio anni LXXV. Caleſiam cum inſtructiſſimis pedeſtribus equeſtribusque copiis appulit. Cum iis exercitum, qui prius ex graviſſimis tam obſidionis, quam itineris fatigationibus reficendus erat, ſtatim conjungere Carolus non potuit, quam ob rem, cum Angli ad Peronam hærerent, &, deſtituti duce, qui hoſtici ignaris, reique militaris Gallicæ rudibus viam præmonſtraret, quo ſe verterent, quidve ſuſcipiendum ſit, neſcirent, animos plane deſponderunt, ſeque proditos eſſe ſuſpicati ſunt. Augebat hanc ſuſpicionem, quod Ludovicus, Conneſtablius, in tradendo Fano St. Quintini fidem falleret, & appropinquantes ſpe proditionis oppidi explosis tormentis repelleret. Itaque incœperunt magis de pace, quam de bello cogitare, præſertim cum Eduardus Veneris & Vacunæ magis, quam Martis caſtra ſequeretur, & judicante Cominæo, non ea virtute & induſtria præditus eſſet, quali præditum eſſe oporteret eum, qui velit in Galliis magni aliquid bello perficere, hocque bellum magis ex pecuniæ, quam gloriæ, cupiditate ſuſciperet. Poſtquam aliquid

cum Anglis cum aggredi cupit.

Sed Angli ſeparatim inducias cum Gallis faciunt.

Digitized by Google

quid de hac consilii mutatione & indignatione Anglorum in Burgundum Ludovico Regi subolverat, cum noviſſet, quantis calamitatibus Angli per integrum ſeculum Galliam afflixiſſent, omnem diligentiam adhibuit, Anglos quacunque ratione ſibi reconciliaret. Itaque miſſo caduceatore pacis conditiones obtulit, locumque deligendum legatorum colloquio petiit. Data utrinque fide convenerunt apud Ambianum ex parte Regis Galliæ Burbonius Archithalaſſus, & ex parte Eduardi Hevartus, princeps conſilii ſanctioris, atque tranſegerunt, ut, pactis in novem annos induciis, Eduardo in ſumtus belli a Ludovico absque mora numerarentur ſeptuaginta duo aureorum millia, & ejus filius Carolus Delphinus uxorem duceret natu majorem Eduardi filiam, in cujus educationem etiam per novem annos, quinquaginta aureorum milia quotannis perſolveret Ludovicus, quo tempore elapſo Aquitania utenda fruendaque perfecto matrimonio illis ſit concedenda. Maxima prudentia tunc negligebat pecuniam Ludovicus, pacemque ingentibus ſumtibus redimebat, & non ſatis care illud ſibi ſuisque ſubditis comparabat, quod omnium eſt cariſſimum optimumque. Obmurmurabat huic paci Ludovicus, Conneſtablius, & permulti anglici proceres. Sed illius perfidiam ipſe Eduardus reprehendit, hos Ludovicus magnificis donationibus argenti ſignati & facti, & equorum generoſiſſimorum, oblatisque ad Ambianum lautiſſimis comeſſationibus ſibi conciliavit. Omnium ægerrime hanc pacificationem tulit Carolus, qui Luxenburgo ſedecim comitibus ad Eduardum mutatis equis celerrime accurrit, & ſtomachabundus ipſi hanc pactionem exprobravit. Sed ſuis contumelioſis verbis Eduardum magis ab ſe abalienavit, qui pridie calendarum Septembr. in colloquio apud Pinciniacum conditiones pacis ratas habuit, & poſtea cum exercitu in Angliam remigravit, bello per undecim ſeptimanas magis oſtenſo, quam illato. Carolus uti liberius bello Lotharingico incumberet, ipſis Eid. Septembris reſtauravit etiam novennales inducias cum Ludovico iis legibus, ut Rex fœderi cum Cæſare & Colonienſibus inito renuntiaret,

quis demum etiam reſtaurat.

riaret, caſtella Haſſiacum & Gerondellam dejiceret, Auguſtam Veromanduorum (St. Quintin) reſtitueret, bellicis tamen inſtrumentis ſibi vindicatis, Renato Lotharingo & Helvetiis auxilio non ſubveniret. vid. COMINAEVS *Lib. IV. c. 5. & ſeq.* MEYERVS *Annal. Flandr. L. XVII. p.* 416. BVSSIERES *Hiſt. Francic. Lib. XIII. n.* 18. JO. SERRANVS *in invent. general. Hiſt. Franc. p.* 842. FRANCISCVS MEZERAY *in breviar. Chronol. Hiſt. Franc. T. III. p.* 548. PAVLVS AEMILIVS *de reb. geſt. Fr. p.* 352. ALB. KRANZIVS *Sax. Lib. XII. c.* 13. *&* 14. Tabulas induciarum Caroli cum Ludovico exhibet OLIVARIVS MARCANVS *comment. Lib. II. c.* 7.

§. V. Pactis hiſce induciis Carolus omne bellum tranſtulit in Lotharingiam, cujus dux Renatus II, (qui etiam Renaldus, & Reinhardus ab aliis vocatur) ex inito fœdere cum Sigismundo Auſtriaco & Helvetiis, adhortante ſimul Ludovico G. R. & reſtitutionem Andegavi, Bari & Provinciæ ditionum, avo ejus ablatarum, ſpondente, Carolo, in obſidendo Noveſio occupato, improviſo bellum indixerat, Petra forti caſtello, oppidisque montis Falconis & Danvillario, nemine prohibente, captis. Præterea noluerat etiam in ſe recipere æs alienum centenorum millium aureorum ab Nicolao Duce, cujus hæres erat, apud Carolum conflatum. Hac de cauſa ſub calend. Octobr. A. LXXV. Carolus intravit Lotharingiam, omnemque hanc regionem, omnibus oppidis, vel vi, vel deditione, in poteſtatem redactis, brevi temporis ſpatio occupavit. Nantium, urbs primaria & longe munitiſſima, aliquot ſeptimanarum obſidionem ſuſtinuit. Deditionem ſubdole impedivit perfidia comitis Campobaſſæi, cui militiæ ſummam Carolus commiſerat, cum ex clandeſtino pacto cum Renato obſidionem retardaret, atque procuraret, ne ea, quæ ad oppugnationem uſui eſſe poſſent, ſufficienti copia ad manus eſſent. Renatus, ad tantæ molis bellum profligandum impar, interea abiit in Galliam oratum auxilia, quæ non obtinuit, quoniam de capiendo Conneſtablio Ludovicus cum

bellum infert Lotharingo.

Digitized by Google

Carolo pactionum fecerat, ea lege, ut Nantium Carolo traderetur. Hac ratione itaque Carolus subegit omnem Lotharingiam, adituque ex Flandria in Burgundiam facto, ex voto continentes possedit regiones, inde ab Oceano Germanico, usque in Lugdunensem provinciam. vid. MEYERVS, BARLANDVS, SNOIVS COMINAEVS. l. c.

Pangit cum Ludovico R. de exitio Conestablii,

§. VI. Nunc vero aliquid de ista famosa pactione dicendum est, quam Carolus de exitio Conestablii cum Rege Franciæ iniit, & qua expleta Nantio potitus est. Itaque sciendum, Ludovicum, comitem fani Pauli, ex prosapia antiqua Comitum Luceburgensium oriundum, dynastam Conversani, Brianæ, Angiensis, aliarumque ditionum, quibus uxor prima Joanna, filia unica & hæres Roberti, Barensis, comitis Marliæ, domini Dunkercæ, Greveningæ, Brucburgensis, & Varnestuni, eum auxerat, socium fuisse fœderis illius inclyti a proceribus Galliæ pro tuendo bono publico contra Ludovicum R. G. facti, & tum temporis Carolo B. amicissimum. Cum vero post pugnam ad montem Erycum pugnatam singulis boni publici assertoribus Gallus quavis ratione satisfaceret, & callido quodam consilio eos dissociaret, detulit huic comiti fani Pauli connestablii dignitatem, qua non alius eo tempore in Gallia amplior & magnificentior honor erat, eumque hac ratione a Burgundicis partibus abstraxit. Comes in hoc fastigio constitutus, postea in eo totus fuit, ut perpetuum bellum aleret inter Regem & Carolum, ne pacis tempore ejus auctoritas evilescceret, annuæque pensiones a rege diminuerentur. Hanc ob causam Regi præcipuus autor extitit turbandi pacem Peronensem, occupatoque fano St. Quintini, conatus est Carolo extorquere nuptias filiæ cum Aquitaniæ duce, etiam invito Rego. Cum etiam insolentius erga Regem se gessisset, & mox Regi, mox Carolo fidem suam addixisset cum utrisque vero inimice & fraudulenter egisset, utriusque etiam in se internecina collegit odia, ut illi A. 1474. in conventu legatorum ap. Bovinas de eo perdendo consilia communicarent. Sed ejus astutia interru-

Digitized by Google

interrupit hanc ſtipulationem, dum ſcriptis humillimis literis Burgundum Regi ſuſpectum redderet, omnesque accuſationes per inimicorum ſuorum invidiam ſpecioſe diluerer. Vocatus poſtea a Rege ad colloquium non procul ab Novioduno apparuit, ſed loricatus ſtipatusque valida CCC. cataphractorum manu, & cum Rege, non clientis ſubjectiſſimi habitu, ſed æqualis cujusdam principis arrogantia, collocutus eſt in ponte, quem paries interſepiebat haud latius patentibus clathris, quam ut dextras per eos jungere, & ſalutationis officium uterque exhibere poſſent. Hoc tamen non obſtante recuperavit ad tempus Regis gratiam, quam tamen, uti omnia ſimulata ſunt fluxa & caduca, non diu ſibi conſervavit. Cum enim in bello, quod Eduardus Galliæ minitabatur, ad improbas ſuas fraudes & clandeſtinas inſtigationes atque proditiones reverteret, & duplicis Vlyſſis perſonam agens, modo Regi conſilia contra hoſtes ſubminiſtraret, modo hoſtibus St. Quintini fanum patefacere fruſtra promitteret, hacque ratione utriusque principis amicitiam venaretur, ludificati principes omnes tandem manifeſtatis technis in ejus perniciem conſpirarunt. Primum Ludovicus Rex per invitationem ad colloquium ei inſidiatus eſt, ſed recuſavit accedere, niſi Rex per crucem D. Lupi Andegavenſis jurando ei ſalvum itum & reditum promiſiſſet, ſed, quia ex ſuperſtitione illius temporis omnis per hanc crucem peſerans intra anni curſum mala morte eſſet abſumendus, hanc jurisjurandi religionem Rex pertinaciter detrectavit. Poſtea renovavit placita Bovinenſis conventus cum Carolo, ut uter prior eum cepiſſet, is vel intra octiduum eum ſecuri ſubmitteret, vel in alterius poteſtatem daret; Regi cederet caput, Carolo Fanum St. Quintini & omnia interemti bona. Conneſtablius his retibus implicatus, cum, uxore altera Maria Sabaudica, reginæ Galliæ Carolæ ſorore, nuper mortua, de omni reconciliatione cum Ludovico deſperaret, atque in hac periculoſiſſima conditione, cum tres potentiſſimos principes eodem tempore haberet infenſiſſimos, ob omnibus deſertus non haberet, quonam ſe reciperet,

Digitized by Google

confugit Montium ad Jo. Rollinum, Aimerii regulum, Hannoniæ rectorem, amicum ſuum ſingularem, omni fiducia repoſita in Caroli magis placabiliorem, minusque inſidioſum animum. Vbi hoc reſcivit Ludovicus, confeſtim occupato fano S. Quintini, ne ejus oppidi deditione Conneſtablius ſibi reconciliaret Carolum, miſſo nuntio urget Carolum, ut ſibi tradat Conneſtablium, datoque diplomate apud Sanguinetum juxta Pariſium XII. die Nov. A. LXXV. denuo ſpondet, ſe non ſolum illi Sanquintinum, & Conneſtablii optima bona conceſſurum, ſed etiam Renato, quamvis enixiſſime flagitanti, nullas ſuppetias laturum. Sed cum Carolus anceps hæreret, atque in ſpem veniret capiendi Nantium ante eum diem, quo Conneſtablius ex pacto tradendus erat, qua ſpe impleta ejus traditionem denegaturus erat, accidit non ſolum, ut ex perfidia Campobaſſæi obſidio produceretur, verum etiam Rex contractis in Campania copiis ſuccurrendi Nantio ſpeciem fecit, Caroloque inſignem metum incuſſit. Quamobrem ille ſcriptis literis mandavit Hugoni Cancellario, & Imbercorto, ut Peronam deductum illis, quos eo Rex ablegaturus eſſet, traderent, quod illi etiam promte fecerunt. De Conneſtablio Pariſios perducto, & læſæ majeſtatis reo Rex judiciali ſententia publice ſumtum fuit ſupplicium capitis. Carolus potitus eſt Nantio, & accepit Sanquintinum, Hannojum, Bohainum, opesque aliquas Conneſtablii. Si de juſtitia hujus facti disquiritur, omnes hiſtorici hoc uno ore tanquam fœdum & Caroli virtuti plane indignum damnant, quo ille ob fidem publicam violatam Dei in ſe concitaſſet indignationem & graviſſimam vindictam, ut ab morte Conneſtablii ſemper fuiſſet infelix. Licet itaque Carolus omnino ab hoc probro penitus liberari non poſſit, & nefas etiam in hoſtem, cui ſupplici de periculo caverat, admiſiſſe videatur, attamen, & ipſius Conneſtablii imprudentiæ, & odio acerbiſſimo Imbercorti in Conneſtablium, non parum etiam imputandum eſſe cenſeo, quod ille in manus Ludovici pervenerit. Minus prudenter egit Conneſtablius, primo, quod Sanquintinum Carolo

eumque ad ſupplicium Regi tradit

non

Digitized by Google

non tradiderit, antequam illud defereret, quo oppido ſuam vitam redemiſſet; deinde quod illius fidei nimis fidentiori animo ſe commiſerit, quem toties fefelliſſet, & cui per fidem violatam innumera incommoda attuliſſet. Quod inimicitia Imbrecorti Conneſtablio extremam perniciem maturaverit, Cominæus atque Meyerus luculentis verbis teſtantur. Ille enim ex privata ultione, quod in quodam conventu a Conneſtablio mendacii inſimulatus fuiſſet, eum Gallis ſine ulla cunctatione exhibuit, ante ſecundam principis juſſionem, quæ in rebus ejusmodi gravibus ex jure Burgundico expectanda prius fuiſſet, & quæ etiam poſt tres horas, quam Conneſtablius traditus fuerat, a celerrimo nuntio allata, traditionem procraſtinabat. Ceterum fraudulentiſſimus prævaricator, qui tot belli faces ſubminiſtraverat, multiplicique perfidia amicos & inimicos continuo læſerat, utique graviſſima pœna dignus fuiſſet, modo illa ei non per violationem datæ fidei publicæ, & per probroſam ejusmodi nundinationem fuiſſet irrogata. vid. COMINAEVS, *Lib. IV. c. 6. ſeq.* MEYERVS, *p.* 42. PAVLVS AEMILIVS, *p.* 351. P. HEVTERVS, *L. V. p.* 498. BVSSIERES, *Lib. XIII. n.* 19. MEZERAY *T. III. p.* 550. NIC. VIGNIERIVS *in hiſt. domus Luceburgenſ.*

§. VII. Expugnata tota Lotharingia reſtabat ultio de Helvetiis pro injuriis allatis ſumenda. Illorum enim potiſſimum opera Carolo ademta erat comitatus Ferretanus, illi quoque juſſu imperatoris Burgundiam incurſionibus eo tempore vexaverant, quo Noveſium circumſidebatur, & Jacobum, Comitem Romontium, Ducis Sabaudiæ patruum, & Caroli amicum & fœderatum aliquot oppidis exuerant, quas injurias omnes ſigillatim deſcribunt IO. STVMPFIVS *in Chronic. Helv. Lib. XIII. c.* 17. & PH. COMINAEVS *L. V. c.* 1. ut omnino indicium maxime infenſi animi in Carolum ſit, cum Cominæus poſtea affirmet, belli Helvetici cauſam fuiſſe currum pellibus ovium onuſtum a Comite Romontio mercatori cuidam Helvetio ademtum, & pro re tam exigua Carolum, a Deo plane deſtitutum, atrox bellum ſuſcepiſſe. Ca- Helvetios aggreditur

rolo, finibus Helvetiorum cum exercitu quinquaginta millium militum appropinquanti, ſemel atque iterum occurrebant Helvetiorum legati oratum, ut pactione potius quam bello cum illis ageret, ſe omnia illi Sabaudisque erepta reddituros, omnibus fœderibus cum aliis contra eum initis renunciaturos, atque pro parva mercede ſex millia peditum adverſus Regem Galliæ quocunqne tempore ſubminiſtraturos. Quare eum velle cum pauperculis Alpinis ruſticis decertare, ſine ulla propoſita prædæ gloriæque ſpe, quorum omnium patrimonia curtamque ſupellectilem, ob regionis montoſæ aſperitatem, equitum Burgundicorum calcaria & phaleræ æſtimatione longe ſuperarent. Sed ſurdis Caroli auribus recitabant preces, qui ad reſtaurationem veteris regni Burgundici aſpirabat, & cum faventes ſibi haberet finitimos principes, Carolum Galeatium, ducem Mediolanenſem, Jolandem, Amadei IX. ducis Sabaudiæ viduam, &, Renatum, utriusque Siciliæ Regem & Provinciæ comitem, qui ipſi etiam jus ſuum in regnum Neapolitanum cedere, eumque comitatus Maſſilienſis heredem ſcribere volebat, de proferendis limitibus ab Oceano Germanico ad Italiæ usque Alpes cogitabat. Moto itaque in Helvetios exercitu primum oppugnat Granſonium, oppidum Sabaudicum in finibus Helvetiorum, ad lacum Neocomenſem ſitum, caſtelloque munitum, & non dudum ab iis occupatum, illudque d. XXVIII. Febr. A. LXVI. (vel juxta calculum Burgundicum, quo a Paſchate dinumerabantur annorum initia A. LXV.) deditione cœpit. Vt terrorem Helvetiis incuteret, jubet poſtea, ducentos ex præſidiariis deditiis, quibus liberam abeundi poteſtatem promiſerat, contra datam fidem, funi alligatos, in proximo lacu ſubmergi, & octoginta arboribus ſuſpendi. Quæ perfida crudelitas ita exacerbavit Helvetios, qui viginti millibus militum ad Granſonium obſidione liberandum approperabant, ut, quaſi in totius gentis deſperatione ſub ductu Hermanni Eptingenii, Auſtriaci præfecti, decernerent cum Carolo proelio decertare. Carolus commodiſſimo

mo loco caſtra metatus erat, ira ut ab uno latere lacus, ab altero vallum & foſſa, a fronte tormenta majora, a tergo connexi carri interpoſitis minoribus tormentis, hoſtem arcerent; poſtquam vero de feſtinato hoſtium acceſſu certior factus eſſet, perverſo conſilio in hac loci firmitate illos non expectavit, ſed tribus inſtructis aciebus illis obviam ivit. Primam ex decem peditum millibus conflatam ducebant Antonius & Balduinus, fratres nothi Burgundiones, cum principe Arauſionenſi. Mediæ phalangi ipſe Carolus cum Comite Compobaſſæo præerat; poſtremos ordines regebant Jo. Clivenſis, & Fredericus Egmondanus. Primam aciem ex anguſto itinere, inter duos montes occupato, quo neceſſario Burgundis transeundem erat, Helvetii ſtatim invadunt, &, cum illa eo conſilio retrocederet, ut ex locis anguſtis & montoſis hoſtes in planitiem & apertos campos eliceret, eosque ibi, equitatu, circumdatos proculcaret, accidit, ut ſubſequentes legiones tam ſalubris conſilii rationem non intelligerent, ſed præmiſſum agmen fuſum fugatumque ratæ, qua cuique pateret ad fugam viam, dilaberentur. Carolus ardentiſſime conabatur fugam ſuorum inhibere, proeliumque reſtituere, ſed cum anguſtiis locorum, in quibus hærebat, prohibitus, equitatu, quo plurimum valebat, uti non poſſet, ex montium jugis undique maximo furore irruentibus Helvetiorum globis cedere tandem fuit coactus. Fugientibus ob minorem equitatus numerum Helvetii inſtare non potuerunt. Burgundionum duo millia cæſa ſunt, Helvetiorum non ultra quinquaginta, ut clades hæc magis infamis, quam cruenta eſſet. De die, quo proelium commiſſum, non conſentiunt autores. HENRICVS GVNDELFING *in hiſt. Auſtriaca ap. Lambecium in Comment. de Bibl. Cæſ. L. II. c. 6. p. 497.* conſtituit d. II. Martii, Meyerus, Melanchthon, Hubnerus, d. II. Aprilis, Mezeray d. V. Apr. Omnium vero certiſſime Fuggerus & Stumpfius d. III. huic Martii proelio deſignant; conf. COMINAEVS P. HEVTERVS, MEYERVS, FVGGERVS, H. GVNDELFING.

& ab illis ad Granſonium funditur,

Ex

Ex itinere obſederant Helveti Vaumarcum oppidum, quod aliquot cohortes legionis prætoriæ Burgundicæ tenebant, quæ vero clade ſuorum percepta nocturna eruptione aufugerunt. Ducentos Burgundiones captos Helvetii iisdem funibus, quibus cives ſui interemti fuerant, ſuffocaverunt. Receperunt etiam Granſonium, & ſubmiſſa Burgundis Sabaudica & Inſubrica auxilia diſſiparunt.

perdit opes,

§. *VIII.* Hoc infelici proelio Carolus duplicem irreparabilem fecit jacturam, opum nimirum atque amicorum. Quicquid enim omnino pretioſum atque eximium in bonis, vel a majoribus relictum, vel a ſe comparatum poſſidebat, in hanc expeditionem, ad manifeſtandam Italicorum principum legatis ſuam magnificentiam, ſecum portaverat. Prætorium ejus ex panno ſerico contextum radiabat aureis provinciarum teſſeris Phrygionio artificio ſuſpenſis, ejusque caſtra omni luxu & opulentia inſtructa erant. Aderat ingens auri argentique pondus, ingens quoque tormentorum, commeatusque vis. Quæ omnia venerunt in hoſtium poteſtatem, ut etiam gregarii milites acervis factis pecuniam inter ſe dividerent. Ceſſit etiam in prædam omnium pretioſiſſimum Caroli cimelium, conſtans ex magno & craſſo adamante acuminato, per totum orbem Chriſtianum tunc celeberrimo, & tribus magnis balaſiis, qui ſpecies ſunt rubini, propter æqualitatem magnitudinis, craſſitiei, & ponderis, appellatione *trium fratrum* inſignitis, & quatuor rariſſimæ magnitudinis margaritis Indicis, ſine ullis bracteolis, alioque ullo aſcito ornamento, ſubtilibus tantum nonnullis commiſſuris aureis connexis, quo magis gemmarum nativa puraque craſſities & magnitudo ab omni parte eſſet conſpicua. Tradit Cominæus, quendam militem hoc monile repertum in pyxidem repoſuiſſe, mox ſub currum abjeciſſe, & paulo poſt in reditu ſuſtuliſſe, & ſacrifico cuidam aureo vendidiſſe nummo, eum deinceps a ſui oppidi magiſtratu, cui miſiſſet, accepiſſe aureos duos. Alii alia falſa & fabuloſa de eo perhibuerunt, *daß hernachmahls ein Berner.*

inter quas adamantem celeberrimum,

Nah

Digitized by Google

Nahmens Barthelem Mey, den groſſen Diamant für 5000. *fl. gekauffet, worfür die Genueſer wiederum* 7000. *fl. bezahlet, und der Herzog von Mailand* 11000. *und endlich Pabſt Julius II.* 20000. *welcher die regna mundi, oder dreyfache Päbſtliche Krone darmit gezieret*, vid. MICH. STETLER *in Hiſt. Helv. L. VI. ad A.* 1476. Sed omnium veriſſimam notitiam hujus cimelii nobis dedit IO. IACOBVS FVGGERVS, operis de gloria Auſtriaca illuſtris autor, in ſeptimo libro adhuc inedito. Nam ipſe illud a patruo ſuo magno, Jacobo Fuggero, qui hoc ab Helvetiis cum quodam rubino & pileo criſtato pro quadraginta ſeptem millibus florenorum coëmit, hæreditate ad ſe translatum poſſedit, atque illud vendidit cum lucro Henrico VIII. Angliæ Regi, poſtquam illud ſæpius æquiſſimo pretio Carolo V. & Ferdinando I. Impp. venale obtuliſſet. Ab Angliæ tamen Rege rediit illud poſtea in Auſtriacæ domus poteſtatem per matrimonium cum Maria ejus filia & hærede a Philippo II. R. H. inito. Quod attinet ad Pileum elegantem & magnificum, quem pariter in proelio Granſeenſi amiſit Carolus, & poſtea Fuggerus coëmit confectus ille fuit ex flavo holoſerico, & quidem ea forma, ut non ſolum haberet marginem rotundum, verum etiam rotundum ſimul & exaltatum apicem, cujus ſummo faſtigio in medio ſuperimpoſitus fuit oblongus & acuminatus balaſius, aureo cuidam loculamento inſertus. Totus pileus circumcirca ſex diverſis ordinibus pretioſiſſimarum margaritarum fuit diſtinctus, loco autem teniæ circumdedit baſin apicis ſeries ſapphirorum & balaſiorum æqualis magnitudinis, aureæ corollæ alternatim cohærentium, quorum ſinguli tribus magnis margaritis orientalibus a ſe invicem diſtinguebantur, accedentibus inſuper binis margaritis, quæ radiatis corollæ extremitatibus ſuperne & inferne erant infixæ. In anteriori parte pilei erat artificioſiſſimus tubulus aureus, adamantibus, balaſiis, & margaritis exornatus, cui inſertæ erant duæ pinnulæ, quarum una rubra, altera alba erat, utriusque vero calamus producto, & ad latera criſpato, aureo filo, appoſitisque marga-

& pileum magnificum,

Digitized by Google

ritis resplendebat, vid. LAMBECIVS *in Comment. de Bibliotb. Cæs. L. II. c. 6. p. 511. & seq.* qui veros & genuinos iconismos tam monilis illius pretiosissimi, quam galeri magnifici exhibet. Idem laudatissimus Fuggerus affirmat, plus quam decies centena florenorum millia omnem supellectilem a Carolo amissam fuisse æstimatam. De reliqua parta præda continuator anonymus *Chronici Alsatici & Argentoratensis Jacobi von Kœnigshofen presbyteri c. V. p.* 376. ita scribit: *do verlore der Hertzog von Burgundy in derselben Wagenburg ob jjjj ℭ grosser Schlangen büchssen, und lx Stein büchssen, und jx grosser houpt büchssen, und jjj ℭ thumen bulfer, vjjj ℭ hockenbüchssen, und me dan jjj M Wägen, und me dann jjjj ℭ tröge do der Hertzog sin kleider und kleinot ine hatt, und an der Ritter und Knecht, darin vant man vil silberin gesehirr, und vil sydenröck und vil andere kostliche Ding, man vand ouch sin ingesigel, und andere Kleinot und heimliche Brief in siner Cantzley, man vante ouch in sin huse, das er allwegen mit im furt, wann er zu velde lag, man fande ob ℭ gestickter guldin roeck &c.* Helvetios post hæc primum aurum cœpisse cognoscere, cum hisce opimis spoliis non recte usi fuissent, sed patinas argenteas pro stanneis vendidissent, vulgo etiam notum.

perdit etiam amicos,

§. IX. Per hoc adversum proelium Carolus etiam destitutus fuit omnibus amicis. Jolandis enim Sabaudica, Galeacius Mediolanus, & Renatus, Siciliæ Rex, hac calamitate audita fortunam secuti, confestim legatos ad Regem Galliæ miserunt, atque amicitiam & societatem, quæ ipsis cum eo antea fuerat, summa fide restaurarunt. Omnes illi, multis injuriis affecti, antea a Regis Ludovici amicitia secesserant, fœderaque cum Carolo pacti erant pro conservandis fortunis. Sed ex eo tempore, quo Carolus fusus fugatusque fuit ab Helvetiis, omnes eum deseruerunt, seque Gallo denuo adjunxerunt, de ejus fortuna plane desperantes. Ludovicus commorabatur eo tempore Lugduni, ut in ea propinquitate omnem Caroli statum eo melius exploraret. Ante expediti-

Digitized by Google

peditionem Helveticam Carolum ſub ſpecie amicitiæ hortatus fuerat, ne cum Helvetiis, duro hominum genere, quorum virtus ipſi incognita eſſet, congrederetur. Sed ex veritate Carolum hac admonitione acrius incitabat, qui nihil tam firmum ac validum putabat eſſe, quod ejus virtus ſuperare non poſſet. Hinc etiam magnopere fuit lætatus nuntio de adverſo proelio a Carolo commiſſo, & hoc unum modo, teſte Cominæo, graviter tulit, quod non major eſſet edita ſtrages. Helvetios ipſi indignantes, quod Carolo opportune bellum non intuliſſet, & in ſervandis induciis, contra pacta cum ipſis inita, tenacior eſſet, perſolutis ipſis quotannis quadraginta aureorum millibus, ſibi conciliavit, acriusque ad bellum in Burgundos parandum ſtimulavit, auctis etiam penſionibus, ita ut ex calculo Cominæi Helvetii inde a primo proelio Granſeenſi a rege decies centena aureorum millia acceperint in ſtipendia militum. Cum a Burgundis undique obſiderentur itinera, utebatur mendicis internunciis, Helvetiorumque conjurationem omnibus modis ſibi fovendam eſſe, ducebat. *vid. AA. alleg.*

ægritudini nimium indulget.

§. X. Carolus, proelio victus, ſalvus Loſannam pervenit, & hanc ſuam calamitatem tam ægre tulit, ut aliquot diebus cibo potuque abſtineret, atque hac ſua ægritudine pæne in rabiem verſa, digitos admorderet, genas unguibus laceraret, dentibusque infrendens quævis obvia proculcaret, miſſis etiam ad cœlum injurioſis vocibus. Ex mœrore etiam aliquam ſibi corporis infirmitatem contraxit, & non parum priſtini vigoris amiſit. Sibi paululum reſtitutus per Contæum oravit humillimis verbis Regem Galliæ, ut ſervet inducias, quod ille etiam promiſit. Poſtquam vero cognovit clandeſtinam illam pactionem, quam Ludovicus cum Helvetiis fecerat, & quod renatum Siciliæ Regem, a Burgundis abalienatum, commoviſſet, ut, reſciſſo priori teſtamento, novis tabulis Ludovicum hæredem ſcripſiſſet, numeratis a Rege quinquaginta aureorum millibus, quibus Renatus ſuam neptem, Margaritam, reginam Angliæ, captivam redimeret, quærebatur

Digitized by Google

de induciis violatis & jubebat Hugenotum Cancellarium, ut omnes Gallicos mercatores comprehenderet, quod mandatum, ne ad apertam vim provocaretur Ludovicus, novisque calamitatibus affligerentur Burgundiones, non exsecutus fuit. Post pugnam Moratensem, cum de immutatis amicorum animis ei magis constaret, intercepit etiam per Olivarium Marcanum Jólandem Sabaudiæ ducem cum Philliberto & Carolo filiis Genevam tendentes, eamque in arce Ruvrensi in custodiam dedit, ex qua tamen post paucos menses Gallorum ope evasit, atque ad fratrem Ludovicum Regem confugit, cum quo in gratiam rediit, eique filiorum ditionumque tutelam commisit.

Helvetios denuo petit,

§. XI. Reparatis ap. Losannam viribus, & exercitu ex dissipatione Gransonensi collecto, novisque aliquot cohortibus aucto, iterato impetu Carolus Helvetios petit, omnibus militibus victoriam suo more conclamantibus, postquam eos ex suggestu allocutus, atque ad recuperandas amissas divitias, memoriamque pristinæ virtutis pro concione graviter exhortatus fuerat. Successus tamen exoptatus ejus consiliis minime respondit. Morato (*Mürten*) oppido in limite Bernatum sito, quod post dies Spiritui sancto festos A. LXVI. oppugnare inceperat, subvenerunt Helvetii eorumque fœderati octo & triginta millibus militum, cum quibus Carolus d. XVI. Jun. fere ad internecionem totius exercitus proelitatus est. Cum enim Helvetii loco, natura opportuno atque idoneo, prope Caroli castra consedissent, Carolus ad eos lacessendos copias suas ordinatissima acie eduxit. Præcesserunt balistarii Anglici peritissimi, cum majoribus tormentis, post eos ipse Carolus ducebat peditum confertissimum validissimumque agmen, cujus utraque latera turmæ equitum cingebant, quos omnes sequebatur carrorum ingens multitudo. Per sex horas inter continuas pluvias, militibusque perquam molestas, & arma eorum arcusque corrumpentes, explosis aliquot tormentis frustra Helvetios irritavit ad pugnam. qui ad committendum proelium tempus pluvium alienum esse arbitrati sunt, suoque se loco conti-

Digitized by Google

continuerunt. Postquam vero Carolus in eo esset, ut milites imbribus defatigatos laxatis paululum ordinibus in castra reduceret, atque undique dissereuasset, Helvetii improviso ex suis latibulis progressi per nemus vicinum subito inter equitum Burgundicorum turmas se insinuarunt, novissimumque agmen summoverunt. Corporis quidem custodes, & Anglici milites eos irruentes paululum tardarunt, sed cum hi etiam vulneribus defessi pedem retulissent, ipsam etiam peditum phalangem ex itinere latere aperto aggressi circumvenerunt, proeliumque omnibus viribus redintegrarunt. Maxima pars Burgundionum in hoc prœlio cæsa est, reliqui in fugam sunt conjecti. Multitudinem Burgundionum interfectorum quidam ad sex & viginti, imo ad triginta millia extendunt, quidam minorem faciunt. FVGGERVS ex probatissimis autoribus refert, in pugnæ loco numerata fuisse cadavera occisorum XXIIM & LXV. Præter eos multi compulsi sunt in lacum, ibique misere perierunt. Helvetiorum desiderati sunt CCL. Acriter imprimis sævitum est in nobiles, neque ulli, qui vivus in hostium potestatem venit, libertas se redimendi est concessa; quamobrem merito Barlandus affirmat, nullum fere clari nominis fuisse ex Burgundis, qui non illic ceciderit præter ipsum Carolum, qui exercitu profligato cum paucis equitibus fuerit servatus. Paulisper ante Proelium ad Helvetios pervenit Renatus Lotharingus, comitatus turma equitum, propria pecunia conductorum. Meyerus quidem, Heuterus, & Fuggerus ajunt, Renatum ad Helvetios adduxisse quadringentos Gallos, atque ab illis Imperatorem exercitus fuisse constitutum. Sed Cominæus non solum diserte affirmat Gallicos equites, ubi ad fines Germaniæ Renatum deduxissent, domum rediisse, & Renatum exiguo comitatu ad Helvetios accessisse, verum etiam anonymus continuator *Chronici Argentoratensis Kœnigshovenii*, de partium studio non suspectus *c. V. c.* 377. ingenue hoc etiam his verbis fatetur: *In derselben Zyt kam H. Reinhart von Lothringen goen Straßburg, und wolt sich ouch umb hilff bitten sines lands halben,*

cum illis infeliciter ad Moratum confligit.

ben, ob es im wider moecht werden, do hört er ſagen, das die Buntgenoſſen byeinander worent, nun hat er ſich beworben, das er hatt hundert Pferd geruſt, do reyt er ouch hinuff, und wol ſinen Bundgenoſſen helffen, und do er kam, do was der H. von Burgundy angegriffen &c. ob achtzehen tuſent man erſchlagen, und ertruncken ouch gar vil lüt an der flucht in den See, die man nicht kunt zalen, do gewann man im ane ob vier tuſend gezelt, und vil büchſſen klein und gros, &c. De commiſſo ab Helvetiis Renato imperio etiam dubito, cum jam ſumma militiæ permiſſa eſſet Oswaldo, comiti Thierſteinio, quam ei abrogare, & ad peregrinum Principem, militiæque Germanicæ imperitum, nullaque virtute adhuc conſpicuum transferre, temerarium fuiſſet. Peregrinantes referunt, prope Moratum ædiculam in hunc usque diem conſpiciendam eſſe refertam occiſorum Burgundionum craniis ac oſſibus, validos Helveticorum gladiorum ictus referentibus, additamque eſſe inſcriptionem, quæ teſtatur, CAROLVM B. D. EX OBSIDIONE MORATENSI HOC SVI MONVMENTVM RELIQVISSE. vid. GILB. BVRNETVS *Itiner. P. II. edit. Germ. p. 557.* Subiungit Burnetus: *Wer Mürten ſiehet, kan ſich nicht gnug verwundern, wie dieſe Stadt alſo gelegen, wie ſie iſt, und übel beveſtiget, einem ſo mächtigen Prinzen, und ſo groſſen Heer, das mit groben Geſchütz verſehen war, hat gewachſen ſeyn koennen.* Sed munitionis infirmitatem ſupplevit virtus CIↃ IↃ Bernatum, & præſtantiſſimum Helvetiorum auxilium, quæ Burgundum huius oppidi expugnatione prohibuerunt. Reliquerat Carolus Comitem Remontium cum aliquot cohortibus in obſidione Moratenſi, quas poſtea præſidiarii eruptione facta fere omnes interfecerunt. *vid. AA. ſupra alleg.*

Rudio Regis G. hac occaſione recuperatur a Renato Lotharingiæ.

§. XII. Hac pugna trans Rhodanum nuntiata, Ludovicus G. R. cum de Carolo illi amplius nihil metuendum eſſet, Lugduno, ubi per ſex menſes, ad perquirendam Burgundionum expeditionem Helveticam, commoratus fuerat Turonum profectus eſt. Ibi de hac Caroli ſtrage velut de proprio triumpho acto læta-

lætatus, & Renatum ſedulo hortatus eſt, ne tam opportunam occaſionem recuperandi ſuas ditionns prætermitteret, ſed ſumma celeritate coactis copiis Nancejum obſideret, antequam Carolus milite & pecunia ſuas vires refeciſſet. Neque ſegnis fuit Renatus in hoc conſilio exſequendo, ſed pecunia, partim ex hereditate opima Mariæ, Harcurtii, comitis, avi ſui Antonii, comitis Vaudemontii, viduæ, conflata, partim a Rege Galliæ accepta, feſtinato quatuor millia peditum, & mille & quingentos equites conduxit, iisque prid. cal. Jul. Nancejum obſedit. Firmatum erat hoc oppidum valido præſidio mille & trecentorum militum, inter quos erant quadringenti Angli, duce Cochino, univerſis vero præerat Jo. Rubempræus. Lente procedebat obſidio per tres menſes, dum Renatus iis viribus non inſtructus erat, quæ ad vehementiorem oppugnationem requirebantur. Quamobrem procul dubio hoc oppido non potitus fuiſſet, niſi inteſtina diſcordia inter Burgundos & Anglos deditionem maturaſſet. Poſtquam enim globo tormenti Anglorum dux Cochinus fuiſſet interfectus, illi diutius oppidum defendere noluerunt, & conſpiratione cum Nancejanis civibus facta Burgundiones coëgerunt, ut prid. Non. Octobr. deditionem facerent. Iniquiſſimo omnino loco poſt cladem Moratenſem res erant Burgundicæ, ſed ipſe Carolus in iis reſtaurandis remiſſior videbatur, neque ea idonea adhibebat conſilia, quibus ex his ærumnis eluctari commode & in tempore potuiſſet. Ex pugna profugus Veſontione hærens præ mœrore ob rem infeliciter geſtam abſcondit ſe in interiores palatii partes, ibique ſolus & cogitabundus multos conſumſit dies, omnibus ad eum accedentibus infeſtus. Inter ea, cum nemo quiſpiam eum auderet interpellare, omnesque, uti Cominæus loquitur, ſinerent eum ſuo more vivere, Lotharingia occupata ab hoſtibus intercluſa ſunt itinera ex Belgio in Burgundiam, unde rebus afflictis ſubſidia erant petenda; obſeſſi etiam ſunt a Gallis limites Campaniæ, ne per hanc nuntii commeare poſſent. Præterea comes Bitſchius, Renati cliens fiduciarius, auro Gallico adjutus, longe lateque depopula-

adjute Caroli negligentia

populatus est comitatum Luceburgicum militibus vacuum, castellis Valismontio & Surico ad Mosellam, quæ viam ex Lotharingia in Lucenburgicos muniebant, Burgundionibus ereptis. Quod si vero statim animum ab omni perturbatione abstractum ad tuendam Lotharingiam adjecisset, & in tempore suis in Nantio obsessis subvenisset, facillime dissipasset omnes Renati copias, & conservato Nantio tutum atque expeditum iter e Burgundia ad Belgas habuisset, ad resarciendum damnum omnino necessarium.

Carolus recipere studet Nantium.

§. XIII. Cum tandem Carolus sero intellexisset, se transitu in Belgium intercepta Lotharingia esse intercluſum, quam maximis itineribus potuit in Lotharingiam contendit, & tertio post deditionem die ad Nantium pervenit. Renatus improviso ejus advertu perterritus fortissimis aliquot cohortibus tradidit oppidum tuendum, reliquos vero milites per castella distribuit, & duodecim equitibus in Germaniam abiit oratum auxilium. Quoniam vero in Nantii recuperatione salutis Burgundicæ cardo Carolo verti videbatur, statuit hoc alienissimo consilio & tempore arctissima obsidione cingere, firmissimo proposito, aut potiundi oppidi, aut moriendi. Jam mense Novembre hiemis intemperies ingruebat, cœlumque pluvium morbisque infestum, cum insequenti brumali frigore militibus ex clade Moratensi reliquis, male vestitis, & papilionibus destitutis, perquam molestum erat, ut hac de causa oppugnatio omnis difficillima videretur. Nihilomnius tamen prudentiores æstimarunt, eum hoc oppidum, nulla sufficiente annona instructum, facile in suam potestatem recipere potuisse, si in vicina circumjacentia loca suas copias introduxisset, viisque regiis ad urbem tendentibus, sylvis cæsis, & aggeribus obstructis, e longinquo prohibuisset, ne qua obsessis Nantianis frumentum subveheretur. Sed noluit Carolus pro impetu animi languide rem gerere, licet vires per expeditionem Helveticam plane exhaustæ essent, neque illum apparatum haberet ad manus, neque sub signis eam multitudinem militum, quibus destinata potuisset ex sententia exsequi. Adduxerat sex millia militum

Digitized by Google

militum, quorum plerique erant valetudinarii, & male armati. Imperavit quidem Belgarum Ordinibus recentes milites in ſupplementa, ſed clam Compobaſſæus, qui cum Renato de impedienda hac obſidione, & de prodendo Carolo pactus erat, uti poſtea erit indicandum, hæc Principis mandata revocabat, plerique etiam milites ob hiemis ſummam inclementiam militiam abhorrebant. Nihilominus tamen Engelbertus, Comes Naſſovius, & Joannes Comes Chimajus, per ambages aliquot cohortes adduxerunt, & Carolo validiſſimas ſuppetias promiſerunt, ſi obſidionem Nantii in vernum tempus differret, & veteranorum reliquias ex ſtrage Moratenſi per hibernacula recrearet. Hortari etiam eum ſunt, ut in hac rerum difficultate maturaret celebrationem nuptiarum filiæ Mariæ cum Maximiliano, Cæſaris Auguſti filio, & Germanorum affinitate contracta, firmiſſimum ſibi adverſus omnes hoſtes compararet præſidium! Sed Caroli obſtinatio erat inflexibilis. Renatus interim diſceſſerat in Alſatiam, atque Helvetios eorumque fœderatos de auxiliis imploraverat, quibus Nantium obſidione liberaturus eſſet. Obtinuit quoque ea, deprecante Ludovico R. G. & pro eo Helvetiis, eorumque ſociis quadraginta florenorum millibus perſolvente. Rex quoque mandavit, ut Campaniæ præfectus expeditos haberet octingentos cataphractos, & peditum legionem diſpoſitam per Barrenſem agrum, quibus copiis Renato ſpem ſubveniendi fecit, ſi male rem geſturus eſſet. Quamobrem confeſtim præter Helvetios in Germania cum Renato contra Carolum arma conjungunt Sigismundus Auſtriacus, Epiſcopus Argentoratenſis & Baſileenſis, cives Argentoratenſes, Baſileenſes, Colmarienſes, Medſtadienſes Cæſareomontani, Muhlhuſani, Monaſterienſes, Turichemii, Rosheimenſes, & Ebenheimenſes ſuperiores, qui omnes ad octodecim millia armatorum coëgerunt. Duobus millibus etiam militum mercenariorum Renatus firmaverat Tuſium, Roſierium, & Lindſtadium, qui has ſtativas ſedes acriter tutabantur, omnemque ad caſtra Caroli tendentem commeatum intercipiebant, ut Carolus ipſe fere magis obſideretur, quam obſideret, & cum

conflictatur ibi variis incommodis,

Digitized by Google

& cum multis incommodis quotidie conflictaretur. Imprimis rigida vis frigoris vehementer milites affligebat, multisque omnem vitalem calorem auferebat, uti hoc continuator *chronici Argentoratensis Kœnigsh.* c. v. p. 350. memoriæ prodidit hisce memoratu dignis circumstantiis: *In den Winacht oben und in der nacht was es also kalt, das der Burgundschen liet in dem her vor Nanse, und uff den swarten mer swan vier hundert man erfrurent zu tode, und erfrurent ire ob drjhundert man, das man in hende oder fuess must abschniden, do erfrurent ouch gar vil Pferde, davon swurdent des Herzogen von Burgundj diener gar unswillig, do sprach sin oberster diener, was ein Ritter. und oberster Capitener, der sprach, unserem herren dem herzogen ist swol mit kriegen, und gevinn die stad Nanse gern. ich swol, das er vornen in der grosen buchsen lege, so soltent swir ihn in die stad schissen, so gewin er die stad Nanse, und swurde im kriges genuge das mir nit bedorffent also merklich erfriren. Das swart dem Herzog gesaget, do schikte er fürderlich noch ime, lies in hencken, also kam der frum ritter um sin leben.* Cum itaque neque paucitas militum, neque omnium rerum inopia, neque hiemale tempus, pertinaciam Caroli in obsidendo Nantio frangere, atque ad salubriora consilia perducere potuissent, instantibus calendis Januariis A. LXXVII. Renatus cum fœderato exercitu Nantio appropinquavit, omniaque ad prœlium cum Burgundionibus committendum instruxit. Adhuc tamen salva fuisset res Caroli atque imminentem exitialem perniciem sospes evasisset, si sanioribus monitis obtemperans, cum exigua & fame frigoreque pæne confecta militum turba vel Pontemontium, vel in ditionem Luceburgicam secessisset, quo factum fuisset, ut, postquam Germani, hiemalis militiæ insueti, suppeditato Nantianis largiore commeatu, domum rediissent, appetente vere restauratas vires in Lotharingiam effundere, & novo vigore obsidionem Nantii redintegrare potuisset, præsertim cum Renato difficile futurum fuisset, semel dissociatos Germanos, deficiente pecunia, in unum exercitum denuo

Digitized by Google

nuo coadunare. Sed prævaluit ſententia Campobaſſæi proditoris, qui Carolo diſſvaſit ſeceſſionem in Luceburgicos, ne pro vago & fugitivo haberetur, qui pugnæ copiam facere detrectaſſet. Venit eodem tempore ex Gallia in caſtra Caroli Alphonſus V. Rex Luſitaniæ, ſubdole a Ludovico R. G. miſſus, ut per ſpeciem tentandæ pacis ſtatum Caroli exploraret; ſed neque illi & tutiora ſuadenti Carolus faciles præbuit aures. Statuit itaque cum Renato congredi, & copias debiles, fameque & frigore confectas, recentibus & integris, exiguas multis opponere, ſiquidem ex omni ejus exercitu tantum numerabat duo millia ad pugnam idoneorum. Inaudita hæc vecordia atque temeritas fidem non inveniret apud poſteros, niſi hoc ſancte affirmaret vir ſtrenuus & fide dignus, qui huic prœlio interfuit, & in eo captus eſt, OLIVARIVS MARCANVS *Lib. II. comment. c.* 8. hiſce verbis: *Tant fit le Duc de Lorraine, qu' il amena les Suiſſes, bien douze mille combatans, & le Duc de Bourgogne leur alla an devant, & pren ſur ma conſcience, qu' il n' avoit pas deux mille combatans.* Unam illamque perexiguam aciem ita inſtruebat Carolus, ut dextrum latus Compobaſſæo & Jacobo Galeotto, ſiniſtrum Jodoco Lalano, prætori Flandriæ attribueret, ipſe cum fratribus nothis peditatum adverſus hoſtes dirigeret. Renatus contra bipartitum ſociorum agmen cum Hermanno Eptingenio ducebat, & poſtquam prœlium plus biduo protraxaret, ut per continuas vigilias vires Burgundionum magis attenuaret, pridie Epiphaniæ, apud Jarvillam, prædium ruſticum, in Burgundiones impetum fecit. Carolo tunc dimicandum non magis cum hoſtibus, quum cum proditione & perfidia Campobaſſæi fuit, qui initio pugnæ cum quadringentis equitibus ad hoſtes defecit, quæ dimicatio major & periculoſior fuit, omnesque copias perturbavit. Strenue tamen reliqui pro viribus & paucitate ſe defenderunt. Poſtea vero numero obruti ſunt, diſploſaque tormenta inſignem ediderunt ſtragem, remque Burgundicam inferiorem fecerunt, ut omnes, qui cædem effugerent, captivitatem ſubirent, paucis exceptis, qui

& denique fuſus fugatusque occiditur.

Digitized by Google

per nives & glaciem evaſerunt, quorum tamen multi a Campobaſſæo, qui pontem Moſellæ obſederat, excepti, & captivi abducti ſunt. Carolus in fuga ad fanum Jo. Rhodii haud procul Nantio contendit, & dum ibi obvium torrentem equo laxatis frenis tranſire molitur, uti hoc omnium accuratiſſime deſcribit Pontus Heuterus, equus præ laſſitudine in ripa offendit, & Carolum armis gravem præcipitem dedit. Fervide eum inſequebatur Carolus Beomontius, nobilis Lotharingus, quem cum his verbis Carolus proſtratus de ferendo auxilio imploraſſet: *Mon amy, ſauve le Duc de Bourgogne*, homo ſurdaſter arbitratus eſt, eum exclamare: *Vive le Duc de Bourgogne*, eumque hanc ob vociferationem repetitis bipennis (*Hellebarde*) ictibus interemit. Capti ſunt Antonius & Balduinus, Burgundiones, FF. nothi, Marchio Rottelinus, Comes Croviacus, Chimaus, Himanius, Dineſius, Darburgius, Galeottus, Lalanus, Oliv. Marcanus, Monfortius & alii plures. Ceterum in hiſtoria hujus pugnæ duo notandi ſunt errores, qui a ſcriptoribus committuntur. Primus eſt de numeroſo exercitu Caroli in prœlio, quem FVGGERVS l. c. ad quadraginta millia extendit, ſed longe minorem fuiſſe inconcuſſa autoritate Oliverii Marcari evicimus. Alter proprius eſt IOANNI de BVSSIERES, qui *in Hiſt. Franc. Lib. XIII. n.* 20. *p.* 40. ait, Carolum in pugna æſtuante, cum ſuos pelli inſpexiſſet, deſperatione actum, & ferendæ ignominiæ imparem, ſi tertiæ cladi ſupereſſet, mori voluiſſe, ſeque abdentem inconfertiſſimam aciem tribus plagis occubuiſſe, cui aſſertioni reclamant omnes hiſtorici, Carolumque in fuga eo modo, quo dictum eſt, periiſſe, confirmant. Quæ de Angelo Catto, Præſule Viennenſi, ejusque præſagio de hac clade enarranda eſſent, quoniam de eo jam uberius in diſſertatione noſtra noſtra ſecunda de vanitate prognoſticorum politicorum dictum eſt, lubenter præter mittimus. *Vid. autores allegati.*

Quis fuerit Campo- *§. XIV.* Nicolaus vero Comes Campobaſſæus, cujus ſcelere potiſſimum Carolus hac ratione periit, fuit Neapolitanus, qui in diſce

pta-

Digitized by Google

ptatione Arragoniorum & Andegavensium de hoc regno semper studuit Andegavensibus, re vero ab his infeliciter gesta, perfugit in Galliam. atq; in aula Renati Andegavensis senioris, ejusque filii Joannis, & Nicolai nepotis, amplissimis muneribus functus est. Hoc vero mortuo se contulit ad Carolum, cui ob spem hereditatis, quam ipsi Renatus fecerat, apprime fuit carus atq; acceptus, atque eo multis muneribus est cultus. Fama vero prodit, ei postea importunius stipendia flagitanti alapam Carolum iratum infixisse, quam contumeliam tam indigne eum tulisse, ut ex eo tempore consilium de prodendo Carolo inierit. Missus itaque in Italiam ad conducendos equites, iter faciens per Lugdunum promisit Ludovico R. G. per Simonem Papiensem, archiatrorum comitem, se Carolum in lustratione exercitus, cum parvulo equo vectus deposita lorica cum exiguo comitatu legiones pro more circumiret, & rebus necessariis prospiceret, aut interfecturum, aut captum eitraditurum, si pro hac opera præstaret præfecturam quadringentorum equitum, Galliæ insigniorem comitatum, & viginti quinque aureorum millia. Affirmat quidem Cominæus, Ludovicum hanc perfidiam fuisse detestatum, atque per legatum Burgundicum Contæum eam Carolo significasse, qui indicanti fidem non habuerit; verum hoc omnibus iis, qui Ludovici ingenium cognoverunt, Cominæus non persuadet. Quomodo enim ille vel maxime nefanda consilla de exitio Caroli abhorrere potuit, qui in proprios cognatos eadem perfidia sæviit, & jam per tot subornatos veneficos saluti Caroli insidiatus fuit? Verosimilius mihi videtur, eum potius ad proditionis turpissimæ maculam evitandam autorem extitisse, ut cum Renato Campobassæus sua perfida consilia communicaret, quod etiam factum. Parum tamen abfuit, quin atrocitas hujus sceleris fuisset detecta. In obsidione enim Nantii in advehendo Nancæjanis commeatu, captus est Suffronius, Renati œconomus, quo ille internuntio ad Compobassæum fuerat usus. Cum itaque ille ob hunc conatum obsessis opem ferendi a Carolo laqueo adjudicaretur, antequam ad supplicium raptus est, enixissime rogavit, ut a Caroli conspectum admitteretur,

basseus, & quæ ejus perfidia,

retur, quoniam illi essent quædam denuntianda, quæ cum salute atque incolumitate ejus maxime essent conjuncta. Sed hoc Campobassæus studiosissime impedivit, ejusque nuntios a prætorii foribus rejiciens, iterato mandato præfecto rerum capitalium injunxit, ut accelerato supplicio hominem nullius frugis, qui mendaciis vitam protrahere conaretur, e vita tolleret. Absque ulla itaque mora Soffronius supplicium suffocationis subiit, & moribundus testatus est, Carolo non minus, quam sibi, novissimam instare horam, provocans ad conscientiam ejus intimi administri. Callide itaque evasit hoc periculum Campobassæus, & non solum in conflictu Caroli ultimo ad Jarvillam cum vallida equitum manu deserto domino, ad hostes transiit, uti dictum est, verum etiam viginti equitibus magna pecunia conductis, atque in copiis Caroli relictis negotium dedit, ut Carolum circumventum aut interimerent, aut vivum in hostium manus pertraherent. Verum illi, ab irruentibus hostibus dissipati, consilium hoc perficere non potuerunt. Germano nomini non minus dignum, quam glorioſum est, quod autores unanimi consensu referant, Germanicas turmas Campobassæum, postquam cum suis equitibus defeciſſet, acie excedere jussisse, quod nullum militare contubernium nullaque armorum societas cum proditore esset illis viris, quorum proprium ac gentilitium decus esset, fides & probitas intemerata. Post pugnam etiam scelere hoc divulgato, Compobassæus omnibus fere populis invisus fuit, vitamque ignominiæ plenam vagus omniumque rerum egenus in quodam loco obscuro cum gemitu finivit. *Vid. aut. alleg.*

Caroli cadaver repertum sepelitur a Renato.

§. XV. Sed ut redeamus ad Carolum infelicem, iacuerat ille nudus & ignotus per triduum inter cadavera sanguinantia, & Lotharingius miserat ad Metenses scisitatum, num cardus per eorum fines fuga se proripuisset, cum a Compobassæo adduceretur ad Renatum Baptista Columna, Romanus, famulus nobilis Caroli, ad pontem Mosselæ interceptus, qui dominum equo præcipitatum

ab

Digitized by Google

ab Beomontio, eo, quo dictum est, modo interfici viderat, & locum ostendebat, ubi id fuerat factum. Ibi itaque ejus cadaver est perquisitum & inventum. Quoniam vero ex facie, vulnere in dextro tempore inflicto deformata, geluque extumida ægre cognoscererur, an Caroli hoc corpus esset, advocatus Caroli medicus, Matthæus Lupus, Lusitanus; illud ex defectu dentis in in superiore maxilla, quem casu in juventute amiserat, ex vulnere in iugulo in pugna ad montem Ericium accepto, ex prælongis unguibus manuum, quos solebat alere, cognovit. Tria illi inflicta ab bipenni numerabantur vulnera, duo cæsim, unum in dextero tempore, quod solum lethale fuit, & alterum in dextero femore, unumque punctim in ano. Ablutum & purgatum splendidissime sepelivit Renatus in primario Nantii templo ante altare D. Georgii, qui Caroio fuerat Divus tutelaris, eique monumentum fieri jussit, quod his verbis describit IO. WILH. NEYMAIERVS *in itinerario Jo. Ernesti junioris, ducis Sax. p. 33. In der Kirchen zu St. Georgen ligt Carolus der lezte H. von Burgundien, welcher A. 1476. vor Nancy erschlagen worden, begraben, das Monument stehet unter der Orgel, ist von Marbel, und ligt er auf einem viereckichten Stein in einer Rüstung mit zusammen geschlagenen händen, mit dem haupt auf einen küssen zum füssen ligt ein Lœw, auf beyden seiten stehen diese Vers in Marbel gehauen, über ihn aber seine Wapen:*

ejus monumentum & epitaphia.

Carolus hoc busto, Burgundiæ gloria gentis
Conditur, Europæ qui fuit ante timor.
Ganda rebellatrix, hoc plebs domitore remotas
Post patriæ leges, perpete pressa iugo est.
Nec minus hunc sensit tellus Leodina cruentum
Cum ferro & flammis urbs populata jacet.
Monte sub Hericio Francas cum Rege cohortes
In pavidam valido truserat ense fugam.
Hostibus expulsis Eduardum in regna locavit
Anglica, primævo restituitque solo.

Bella

Bella Ducum, Regumque, & Cæſaris, omnia ſpernens,
Totus in effuſo ſanguine latus erat.
Denique cum ſolidis fidit temerarius armis,
Atque Lotharingo cum Duce bella movet,
Sanguineam vomuit media inter proelia vitam
Aureaque hoſtili vellera liquit humo.
Ergo triumphator longæva in ſecla Renatus
Palmam de tanto principe victor habet.
O tibi, qui terras quæſiſti, Carole, cœlum
Det Deus, & ſpretas antea pacis opes.
Nunc dic, Nancejos cernens ex æthere muros:
A clemente ferox hoſte ſepulchror ibi.
Diſcite, terrenis, quid ſit confidere rebus,
Hic toties victor, denique victus adeſt.

In altero latere:

Dux jacet hic Carolus, Belgarum illa ignea virtus.
Cui Mavors dederat bella gerenda pater.
Quem timuit ſubitis animoſus Gallus in armis,
Cuique Alemannorum terga dedere Duces
Quique animum Heſperias bellis agitabat in urbes,
Sed ſubito invertit ſors truculenta viam.
Nam cum Renerium bello ſibi provocat hoſtem
Occubuit fuſo militi ſtratus humi.
Quæ ne tanta viri laus inteſtata jaceret.
Hoc victor victi condidit oſſa loco.

Conf. FRANCISCVS SVVERTIVS *in deliciis ſelectis Chriſtiani orbis p.* 839. In opere Fuggeriano *de gloria Habsburg. & Auſtriaca* traditur quoque hoc diſtichon barbarum ſepulchro ducis inſculptum fuiſſe:

Te piguit pacis æduitque quietis in vita
Hic jaces, Carole, iamque quieſce tibi.

RFNERVS SNOIVS *rer. Batav. L. XI. p.* 168. hos verſus loco ſepulturæ Carolo inſcriptos ab Andrea Flandro communicatos ſuæ hiſtoriæ inſeruit: Caro-

Digitized by Google

Carolus loquitur:

Diſce meo caſu peregrinis parcere cauſis,
Diſce domum regere, diſce domare tuos.
Non contentus agris, genitor quos pace Philippus
Auxerat, externus Carolus hic jaceo
In me diſce dolos fortunæ, proſpera cuncta
Quæ mihi donarat, funera acerba dedit.
Iſta legens & abire volens, dic, Chriſte benigne,
Æternum famulo propitiare tuo.

Requievit Carolus eo in loco usq; ad tempora Caroli V. Imp. cujus mandato eius oſſa Brugas Flandrorum ſunt translata, ac ibi in templo D. Mariæ virginis ante ſummum altare in ſepulchro filiæ Mariæ condita. Renatus in loco pugnæ ſacellum ædificari curavit, conſtituitque ſacerdotes perpetuos, qui piis Caroli manibus bene precentur. Ad ripam torrentis, in qua ejus corpus inventum, crux lapidea eſt erecta. Varii vero de morte Caroli eo tempore per ſeptennium ſparſi ſunt rumores. Quidam teſte BARLANDO *in chronico Duc. Brabant. c.* 133. affirmarunt, eum non interemtum fuiſſe apud Nantium, ſed captum & abductum in Galliam, ibique in conſpectu regis Ludovici gladio admotum periiſſe. Alii aſſeruerunt, eum incolumem fuga in Germaniam dilapſum eſſe, atque ibi eum in ſolitudine acceptæ cladis cruciatu ſeptennium degere velle, poſt autem reverſurum, hoſtesque ulturum. Mercatores magna levitate in eum caſum & emerunt & vendiderunt plurima, primum exolvenda in Ducis reditu, uti hoc refert ALB. KRANTZIVS *Saxon. Lib. XII. c.* 15. *& Vandaliæ L. XIII. c.* 13. & hanc rem in quæſtum verſam fuiſſe teſtatur. Qui enim ea conditione vendiderit rem æſtimationis centum, ab aliis illo ſuo facto in opinione confirmatis, ſubmiſſo ſocio emiſſe & lucratum eſſe mille. Imo inventus quidam fuit homo Bruxellis Sueviæ, quem homines Carolum eſſe dixerunt, de quo nobis hanc exactam notitiam coævus ſcriptor, RVDOLPHVS AGRICOLA *in epiſt. ad Jacobum Barbirianum data Coloniæ calendis Novemb.*

variæ ſententiæ, quid Carolo factum ſit,

A. CIↃ CCCC XCII. reliquit, quam hac potiſſimum de cauſa verbotenus infero, quoniam etiam aliquam nobis ſiſtit Caroli imaginem: *Quod ſcribis tuo more jocans, eſſe eos, qui majore expectatione adventus mei teneantur, quam ſi dux Carolus aliquando eſſet rediturus, id tale eſt, ut magis audire me delectet, quam credere libeat. Sed de Carolo, quando in ejus mentionem veniſti, quia omnibus locis multus eſt variusque de illo ſermo, & quidam eſt, qui magna vulgi perſuaſione Carolus eſſe creditur, qui Bruxellæ, quod Suevia oppidulum eſt, genus vitæ ſupra humanum morem horridum atque aſperrimum peragit, ſcito fuiſſe me plus octo diebus loco, qui una tantum mila ab eo diſtat oppido. Et iviſſem eo, allocutusque hominem fuiſſem, niſi graviores viri, & quibus res exactius poterat eſſe cognita, affirmaſſent mihi, Carolum eum non eſſe. Deinde rediens in navi caſu in colloquium familiaritatemque cujusdam inſinuavi me, qui triginta amplius annis domus Burgundicæ miniſter fuerat. Is ſe dicebat apud Nantium poſtrema illa clade, quæ accepta eſt, ordines duxiſſe, & captum fuiſſe cum multis, & Caroli corpus ſine ulla dubitatione, certiſſimisque ſignis illic agnitum ſepultumque eſſe. Præterea ſe cum hoc viro longum habuiſſe colloquium, ſed & illum conſtantiſſime negare, Carolum ſe eſſe, & neque ſtaturam, neque loquendi, non dico ſonum, qui mutatur multis caſibus, ſed habitum & formam illam verborum convenire. Deinde barbam huic modicam eſſe, quæ Carolo latiſſima erat. Hunc rudes & craſſas, prorſusque ruſticas habere manus, quum Carolo teretes atque ſubtiles eſſent. Præterea neque cicatrices, neque reliqua, quæcunque eſſent ſigna, convenire. Itaque ſi qui illa ſpe teneantur, deceptum eos iri, & vanam eſſe exitu inventuros. Vulgus tamen (qui mos illius eſt libentiſſime incredibilia quaſi comperta & loqui & credere) conſtantiſſime hunc Carolum eſſe aſſeverat.* Extat epiſtola *T. II. opp. Agric. p.* 209.

Caroli forma & character

§. XVI. Hunc infelicem vitæ exitum in anno ætatis quadrageſimo quarto habuit Carolus, victus ab viginti annorum adoleſcente

lescente, Renato Lotharingo, & a summo gloriæ potentiæque fastigio subito præcipitatus, qui rebus florentibus vi bellica, castrensi apparatu, & opulentia, non suæ modo, verum superioris etiam ætatis Principes anteceſſit, Galliam perturbavit, Germaniam terruit, Angliam sustentavit. COMINAEVS, MEYERVS, BARLANDVS, HEVTERVS, VARILLASIVS, IOVIVS, eum quoad animi indolem, corporisque formam, vitia quoque & virtutes egregie describunt, ex quibus omnibus strictim ejus notationem dabimus. Corporis ejus habitus intra proceritatem stetit, faciem habuit oblongam & torvam, frontem amplam, severam & minacem, oculos fuscos, corruscantes, & quasi Martio spiritu fulgurantes, nasum productiorem & circa nares crassiorem, mentum oblongum, comam, supercilia, barbam fuscam, artus teretes & firmos. Ob caloris in corpore abundantiam post prandium semper ptisanæ cremore usus est, qui calor vero post clades acceptas ex ægritudine animi ita debilitatus est, ut posthac calidissima vina stomacho juvando ex medici consilio hauserit. Quoad animum Joannem Intrepidum, avum, perfectissime retulit, præditus temperamento cholerico-melancholico, ambitiosus inexplebili modo, ferox, vindictæ cupidissimus, belli avidissimus, turbulentus, inquietus, ita ut audacior, pugnacior, animique altioris Princeps ejus tempore inter Christianos non vixerit. Hinc etiam imprudens, ut in rebus agendis non rationem ac providentiam, sed impotentem affectuum æstum dominari sineret, & facile rem fortunæ committeret, vel ejus volubilitatis immemor, vel sibi in eam imperium arrogaturus. Alexandrum M. sibi proposuit quam ardentissime æmulandum, ut nihil audiret libentius, nihil majore animi voluptate soleret legere, quam scriptores rerum gestarum ab Alexandro. Inani verborum ostentatione sæpe jactabat, Mediomatricibus, Lotharingis, atque Helvetiis, qui medii interciderent, bello subactis, unum se futurum Principem, qui ab oceano Germanico ad superum atque inferum mare productis imperii finibus, Christianam rempublicam ab immani Turcarum ty-

rannide, exercitibus in Græciam & Thraciam deportatis, vindicaret. vid. BRVTVS *Lib. VI. Hiſt. Flor.* Bene vero obſervat Cominæus, vere πολιτικώτατον ſcriptor, Carolum quidem fuiſſe animo invicto, & ad omnia ſubeunda parato, & ea corporis firmitate, ut quemvis, laborem ſuſtinuiſſet, iis quoque facultatibus & potentia, ut præ ceteris aliquid magni potuiſſet, verum nec ingenii vim ſatis magnam, neque malitiæ ſatis habuiſſe ad perficiendas res tam arduas, easque virtutes, quæ in Ludovico XI. R. G. atque in Carolo fuiſſent, ſimul temperatas, potuiſſe perfectum Principis exemplar repræſentare. Bella paci ſemper prætulit, & famis, ſitis, frigoris, vigiliarum, moleſtiarum, laborumque militarium patientiſſimus fuit, cœli procellas & intemperiem cum hoſtibus vincere ſtudens, & inter cadavera occiſorum cœnans. Dicit Cominæus ſe ſub eo per ſeptem annos militaſſe, nec ullum vidiſſe tempus, quo vel laſſitudinis, vel timoris dediſſet ſignificationem; eum primum omnium ad laborem ſurrexiſſe, & poſtremum quieti ſeſe dediſſe, non ſecus ac ſi calonum infimus fuiſſet. Ad hæc tamen ſibi mirum in modum placens, genii ſui captum ſenſumque magis, quam alienæ prudentiæ placita ſequi maluit. Admonitio ſemper tædium, exprobratio odium faciebat. Si aliquid eſſet ejus animo infixum, illud neque vi rationis evelli, neque meliora edocendo mutari, neque ullo metu coerceri & comprimi poterat, adeo ut adverſus experimenta etiam eſſet pertinax, & bello victus, naufragus maria repeteret. Mens etiam ejus in explebilis non poterat una aliqua re ſatiari, uti clare oſtendit Cominæus, ſed quo pluribus erat involutus negotiis, eo ſemper maiora cupiebat, & arduis audacibusque ſuis conſiliis ac immoderata fortitudine, quæcunque aſpera aggredienda eſſe cenſebat, ab inceptis deſiſtere ſemper indecorum ratus. Durus fuit & ſupra modum aſper in ſuos, ſuſpicax etiam & diffidens. Cenſus & tributa creberrime imperavit, non excepto clero, quem multo graviſſimis exactionibus ad frugalitatem revocavit. In militibus neque mores, neque fortunas, ſed vires, experientiam, & vir-

Digitized by Google

& virtutem respexit, eosque vehementer amavit & adversa valetudine laborantes & saucios medicis commisit, & invisit. Desertores ac furaces acerrime punivit, cetera plerumque dissimulans. In celebrandis sacris admodum fuit varius & inconstans, in castris ea plane negligere visus est, in regia vero jussit divinas cerimonias horridissimo etiam brumæ tempore protrahere. Crudelitatis quoque insimulatur, & affirmant omnes scriptores, Dinantensium Leodiensiumque excidia ipsarum tragœdiarum portenta superare.

§. XVII. Frequentissime & severissime in tribunali sedens jus dixit, causasque nobilium & ignobilium, divitum & pauperum cognovit, hujusque rei multa justitiæ severitatisque plena posteritati commendata sunt exempla, quorum unum atque alterum afferamus. Jo. Dinus Jo. Costanum Burgundum accusaverat, compellatum se ab eo, ut accepta pecunia grandi venenum perferret, quo Carolus de medio tolleretur. Posteaquam igitur Costanus securi percussus erat, Dinum in judicium denuo vocatum interrogavit Carolus, si Costanus pecuniam, quam promiserat præstitisset, an eum accusaturus fuisset? Cui Dinus, fretus indultum iri, palam fassus est; se eum non detecturum fuisse. Quamobrem Carolus eum statim ad idem supplicium damnavit, quod eum duarum proditionum erga amicum & Principem reum judicaret. vid. FVLGOSVS. *L. VI. c. 5.* Præfectus quidam oppidi prædives, sine uxore vivens, captus amore hospitæ suæ formosissimæ, cum ob inexpugnabilem ejus pudicitiam ea frui non posset, maritum ejus, quasi seditionis reum, in carcerem rapi jussit, & uxori, eum cum lacrymis pro salute mariti interpellanti, post criminis falso insimulati gravem exaggerationem, promisit, se apud Principem Carolum gratiam marito obtenturum, si voluntati suæ vellet obsequi. Inter acre itaque amoris conjugalis cum fide ac castitate certamen, eam obticentem, pudore confusam, lacrymantem, & alta suspiria ducentem, nec tamen reluctantem, in cubiculum abduxit. Sed nequissimus homo, ut so- Ejus justitia.

Digitized by Google

lut posthac ea potiretur nihilominus marito caput amputari jussit, eique suum matrimonium obtulit, quo indigno vero facto mulier ita est exacerbata, ut Carolo paulo post urbem ingresso comitata duobus consanguineis, rem totam exponeret, qui præfectum ad se vocatum tormentis terruit, si veritatem reticeret. Cum itaque ille de Principis clementia confidens, rem, uti acta erat, sine mendacio in genua provolutus enarrasset, & promisisset se eam in uxorem ducturum, Carolus dedit consiliariis negotium, ut nuptias cum eo & muliere, maximo illius commodo procurent, in quas illa coacta consensit, cum diu multumque renuisset, illi nubere, qui tanto cum scelere pudicitiam suam polluisset. Per accersitum itaque sacerdotem junguntur matrimonio, & obsignantur tabulæ, quibus præfectus stipulatur, si liberis non susceptis eam morte præcessisset, se omnium bonorum suorum eam hæredem instituere. Postea Carolus quærit ex muliere, num illi sit plene de omni injuria satisfactum? & annuente illa, nondum vero mihi, inquit, & jubet statim præfectum in eum duci carcerem, ubi mulieris maritus vitam finierat, eumque post duas horas præparationi ad mortem concessas, eodem supplicii genere affici. Mulier vero hac ratione intra annum duobus per carnificem, diversa licet causa, maritis orbata, non diu post animi mœrore confecta supervixit, ingentibus præfecti bonis liberos e priore marito susceptos ditans; uti hoc describunt PONTVS HEVTERVS *L. V. p.* 393. & IVSTVS LIPSIVS *in monit. & exempl. polit. L. II. c.* 9. *n.* 7. Idem Heuterus quoque refert, *p.* 449. eum primum fuisse Belgarum principem, qui nobiles ac potentes homines armis jus, quod habere existimabant, exercere prohibuerit, ac duella gravissima sub pœna interdixerit.

Ejus magnificentia,

§. XVIII. In victu & amictu magnificentissimus fuit, præsertim cum exteros Principes inviseret, aut eorum legatos excuperet, ut MEYERVS, HEVTERVS, MARCANVS multa folia replevering de suis nuptiis, epulis, vestibus splendidissimis, & ludis equestribus maxima pompa celebratis. Inprimis hoc patet ex ratio-

nario

nario aulæ & imperii ejus, quod OLIVARIVS MARCANVS, aulæ ipſius præfectus, Gallice ſcripſit, & ſub titulo *l' eſtat de la maiſon du Duc Charles de Burgogne, dict le Hardy, composé A.* 1474. commentariis ſuis ſubjunxit. Verſionem illius Belgicam eorum temporum fere æqualem ANTONIVS MATTHAEVS *veteris ævi analect. T. I. p.* 357. inſeruit, obſervationibus paſſim adjectis. Inſigne illud omnino omnibusque aulicis commendatiſſimum eſt monumentum, judicante Matthæo, quod clariſſime & patentiſſime ob oculos poſteritati ponit, vivendi eo ſeculo in aula modum, officia principis & miniſteria, victus ejus rationem, ærarii vires opesque, nobilium multitudinem virorum que illuſtrium, qui quotidie Carolo apparebant. Accedit auctor, qui commendet, non plebejus, non humilis, non umbratilis & ſcholaſticus, ſed vir judicii non vulgaris, multa clarus experientia, ut qui Caroli præfectus aulæ, quæ digna in ea obſervatu, ſingula admodum accurate obſervavit *αὐτόπτης*. Ordinem aurei velleris Carolus etiam inveſtibus ſplendidiorem fecit. Philippus, pater & inſtitutor, capitulum orbiculare in humeros decidens, & chlamydem promiſſam e lana omnia, ſed murice tincta, ordinaverat. Ille vero primo die natalis Andreani capitium chlamydemque, e coccineo panno ſuſtulit, &, quicquid laneum fuerat holoſericum & purpureum eſſe voluit, & ſerico albo ſuffultum, & limbo phrygionii operis ornatum. Quoniam etiam togis a patre Philippo minime conſultum fuerat, & eæ vel cæruleæ, vel coloris varii, pro cujusque arbitrio eſſe poterant, ſtatuit Carolus ex holoſerico item purpureo futuras. Sequenti diei, qui defunctorum ſodalium memoriæ ſacer, nihil addidit imminuitve. At tertiæ diei, qua natalis Andriani annua celebritas clauditur, & B. Virginis patrocinium imploratur, proprias veſtes aſſignavit, quas voluit e ſerico albo omnes fieri, ſine chlamyde tamen. vid. *Addit. conſtit. Ord. aur. vell. artic. III.* CHIFLETVS *in breviar. hiſt. ord. aur. c. X.*

§. XIX.

Caſtitas & matrimonia,

§. XIX. Vini & cibi Carolus maxime temperans fuit, & ad exemplum caſtus, quare eum omnes ſcriptores a mulieroſitate abſolvunt, diverſiſſimus a patre ſuo Philippo, qui ex diverſis formoſis virginibus vaga libidine imprægnatis quatuordecim utriusque ſexus liberos ſuſceperat, & omnem animi mollitiem magnitudine ſua indignam judicans. Duas duxit uxores, poſtquam Catharina, filia Caroli VII. R. G. ipſi deſponſata A. 1446. intacta obiiſſet,

Prima fuit *Iſabella*, filia Caroli, Ducis Borbonii, & amitæ ejus Agnetis Burgundicæ, matrimonio juncta d. 20. Octobr. 1454. † d. 13. Sept. 1465.

altera *Margareta*, filia Richardi Eboracenſis & ſoror Eduardi IV. Angl. R. nupta 1468. † 1503.

Vnicam tantum habuit filiam *Mariam*, quam ei peperit Iſabella d. 12. Febr. 1457 Qua adulta, uti vere incomparabilis noſtri ævi hiſtoricus IACOBVS WILH. IMHOFF *in Genealog. Gall. p.* 41. judicat, pater utebatur pro rota, quam modo in hanc, modo in illam partem, quæcunque nimirum rationibus ipſius maxime conductura eſſet, verteret, aut potius pro inſtrumenro, quo vaſta, quæ animo voluebat, conſilia perficeret. Septem enim diverſi numerantur Principes, quos ſpe matrimonii filiæ ſibi devinxit, qui fuerunt Maximilianus Auſtriacus, Nicolaus Andegavenſis, Dux Calabriæ & Lotharingiæ, Carolus, dux Bituricenſis, Ludovici XI. R. frater, Philippus, Dux Sabaudiæ, Carolus Delphinus, poſtea hujus nominis rex Galliæ VIII. Carolus, Comes Engolismenſis, & denique Princeps Tarentinus, Ferdinandi R. Neapol. filius. Horum nulli daturus erat filiam, ſed ſaltem eorum amicitiam affinitatis injecta ſpe ſibi conciliare ſtudebat. Sed ceſſit tandem ea poſt mortem Caroli d. 19. Aug. 1477. Maximiliano Auſtriaco, eique attulit provincias Belgicas. Quadriennio vero poſt d. 25. Mart. 1483. ex vulnere, quod ex equo delapſa acceperat, diem ſupremum obiit.

§. XX.

Digitized by Google

§. X. Symbolum Caroli noſtri, quod etiam in nummo, clypeo, armis, aulæis, aliisque ornamentis exprimi curavit, fuit his verbis conceptum: Symbolum & cognomina.

JE LAI ENPRINS
BIEN EN AVIENGNE

quæ Latine ſonant: SVSCEPI ILLVD, FELICITER ETIAM PROCEDAT. Hoc arduo ejusque votis haud impari pronunciato procul dubio indicare voluit, audaces fortunam juvare. Sed utique ſæpe vidit ſuos conatus cum providentia divina non convenire. Varia accepit cognomina, & quibusdam AVDAX, ab aliis PVGNAX, *a Sleidano L. I. p.* 27. BELLATOR, BELLICOSVS, TERRIBILIS, IVSTITIARIVS, SANGVINARIVS, *LE TRAVAILLANT*, eſt dictus. Vidi inter codices manuſcriptos FRATRVM ILLVSTRIVM, EBNERORVM HIERONYMI WILHELMI, & IOANNIS CAROLI, genealogiam domus Burgundicæ in longo membranaceo volumine, eo tempore, quo Carolus vixit, ſcriptam, & Principum, Regumque Francorum & Anglorum inſignibus elegantiſſie illuſtratam, in qua dicitur Carolus ab autore notabili & in nullo alio ſcriptore obvio epitheto METVENDISSIMVS, ita enim ibi ſe verba ejus in inſcriptione habent: *Cum ergo prædictus Vincentius* (ſc. de Bellovaco) *omnia plane expoſuit, incœpi prædictam hanc genealogiam a tempore Philippi IV. R. Francorum, filii ſanctiſſimi Ludovici prædicti, in qua per ſeriem linearum nobilitatem magnificorum dominorum, principum regum & ducum, quantum de origine Francorum, Anglorum, & partibus noſtrorum, & illuſtriſſimi principis, & metuendiſſimi domini, domini Caroli, moderni Burgundiæ & Brabantiæ ducis excellentiſſimi, cujus nobiliſſima propago ex ſingulis ramis hortum habet, ob cujus dignam memoriam, ſuorumque nobiliſſimorum progenitorum atque conſanguineorum hæc genealogia facta eſt, cum auxilio omnipotentis Dei, cujus nutu reges regnant, & principes gubernant. Det eum perſeverare in omni opere bono, ut poſt hanc miſeriam regnare mereatur in perenni gaudio cum electis. Amen.* Hoc nobiliſſimum monumen-

tum Genealogicum & heraldicum fortaſſe latuit in bibliotheca celeberrima Antonii Magni, Baſtardi de Burgundia, quam illi in oppido ducatus Luxenburgici, *Roche en Ardenne* dicto, inſtituit, & eſt tabula ex naufragio, uti quatuor illi majoris formæ codices manuſcripti membranacei Jo. Froiſardi, quos beneficio viri celeberrimi, Gottl. Kranzii, in bibliotheca publica Rhedingeriana Vratislaviæ ſæpius inſpexi, quibus ob picturæ colores valde perſimilis mihi videtur, & fortaſſe nota characteriſtica NVL NESI FROIS cum ea parte, qua mutilatum eſt, periit.

§. XXI. De Caroli rebus geſtis & morte proſtant etiam varia chronica & poetica monumenta, licet valde pro rudicate illius temporis imperfecta, quorum unum atque alterum afferamus. Galli annum MCCCCLXV. pugnæ ad montum Erycium hoc claſſico deſignarunt

a CheVaL a CheVaL gens d'arMes a CheVaL

Annus MCCCCLIII. quo Gandavenſes ob rebellionem graviter ſunt puniti latet in his verbis:

pes Chlesans ConsClenCe eſt la Mort de gandols.

Annum, quo obiit Philippus Bonus, Caroli pater, exhibet hoc dictum:

CeCIdIt IbI LVCerna prInCIpVM.

item:

eCCe obsCVratVs eſt ſoL prIncIpVM.

vid. ACCORDIVS *in lib. variorum, c.* 12. De tribus cladibus Caroli noti ſunt ſequentes verſiculi latini.

Oppida trina tibi, Dux Carole, dira fuere:
In rebus Granſee, grege Murten, corpore Nanſe,

& Germanici:

Bey dreien ſtädten gieng zu grund,
Dein Pracht, Fürſt Carol von Burgund,
Murten nam Leut, Granſee das Gut,
Vor Nanſee lagſt du ſelbſt in Blut.

Pervul-

Digitized by Google

Pervulgati etiam ſunt antiqui illi rythmi chronographi:

Ein Ring von einer Taſchen	CↃ
Vier ohren von einer flaſchen,	CCCC
Ein Saül und drithalb Andres Creuz	LXXV
Belagert Herzog Carl Neuz	
Setz darzu noch zwey I	II
So lag er todt vor Nanſy.	
	CↃ CCCC LXXVII.

vid. FVGGERVS l. c. p. 837.

Fatalis ille annus ſiſtitur ab aliis in his ſententiis

noCte regVM sVCCVbVIt CaroLVs.

*

CernIte nVnC dVCes bVrgVndVM gLorIa neCat.

*

eCCe Leo CeCIdIt, nVnc paX qVaeIta VIgebIt.

TANTVM DE CAROLO BELLICOSO.

Digitized by Google

Digitized by Google